



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
34 G
7
ROMA

Apodixis SANCTITATIS, ET PVRITATIS B. FRANCISCI.

S. Petri nostri amici





APODIXIS SANCTITATIS, ET PVRITATIS B. FRANCISCI.

AVCTORE

R. P. F. Saluatore Vitale Sardiniensi Reg. Obser. Minorita Prouinciæ Thusciæ.





FLORENTIÆ,

Ex Typographia Zenobij Pignonij. 1630.

Superiorum permissu.



Illustriss. Reuerendissimoq; Domino

MARTIO GINNETTI

S. R. E. CARDINALI,

Sanctiss. Domini Nostri Vrbani Papæ 8. in Alma Vrbe Vicario Generali.

Fr. Saluator Vitalis Sardiniensis Ord. Min. Reg. Obser. Prouinciæ Thusciæ.

S. P. Q. F.



AD Thronum serenissimæ pietatis tuæ (Princeps Ecclesiæ Dei) tanquam ad anchoram & Asylum agitatus ab hoste confugio. Nomen siquidem cognomenq; tuum valde meis exploro conferre suppetijs. Quin & talis Mecęnatissæ Dignitatis inclytitas: quin & tantę ad almas Ecclesię auras, Gynętij famę claritas erumpentis; ad eiusce Do-

minationis penetralia dispofuit aditum, paravit accessum. MARTIVS Heros in orthodoxę fidei munimentum & propugnaculum constitutus; Amburbij fausti auspicium felix æthereo lustro vt geras accinctus. Ille namq; Sacerdos magnus, Pontifex Maximum, Diuinus interpres, oraculum Spiritus sancti. Apostolorum legitimus Heres; Abel primatu; Noę gubernatu; Abraham patriarchatu; ordine Melchisedech; Aaron dignitate; Moyses auctoritate; Iosue ducatu; Samuel iudicatu; potestate Petrus; vnctione Christus; Vrbanus inquam, te vnum de sensibus Israel Virum egit; Num. 11. Ex.60. *fortissimis circùm Salomonis lectulum tenentibus gladium;* Cant. 3. *Vnum ex illis expeditis Vernaculis Abrahę;* Gen. 14. *Ex in Madianitas electis millenis;* Num. 21. *Vnam ex illis* 70. *palmis Elim;* Num. 33. *Vnũ ex* 7000. *operarijs Templi;* 3. Reg. 5. *Ex* 70. *Interp. Ex aureis Arcæ coronis; ex Candelabri Lucernis; ex Lilijs, & Sphęralis; ex ansulis Cortinæ Byssinę; ex aureis circulis; ex ansis in ora Sagi; ex argenteis basibus tabularum; ex anulis; ex laminis aureis; purpuram Veli; Tentorij coccum; columnam Atrij; vnum ex Sapientibus corde, quos repleuit Dominus prudentię spiritu, vt fa-*

ciant

ciant vestes Aaron, in quibus ministret Domino sanctificatus. Ex. 15. 16. 17. & 18. *Vnum ex* Zodiaci 12. *signis. Ex illis grandibus, pretiosis, quadratis, dolatisq; à* Salomonis *cęmentarijs in fundamentum Templi, lapidibus* 3. Reg. 5. *Ex laquearibus Cedrinis, oraculi Cherubim, Anaglyphisq; valde prominentibus.* cap. 6. eiusd. *Vnum ex Capitellis quæ sunt super summitatem Malogranatorum; ex columnis Iachim;* (vti Vicarium) *ex ijs, qui mare fusile sustinent Bobus,* cap. 12. *Ex Leonibus, æreis Axibus, Rotis, candelabris, lucernis desuper aureis; ex Cardinibus ostiorum Domus Templi; ex purissimo auro.* 3. Reg. 7. *Vnum deniq; ex Cherubinis collocatis ante Paradisum voluptatis, flammeum gladium atq; versatilem gerentibus, ad custodiendam viam ligni Vitę.* Gen. 3. EN MARTIVS.

Aptum auxilio ferendo nomen Martius, *aptum cognomen* Ginetius. *Bonam,* Deam coluere Romani, de qua Tibullus. *Sacra Bonæ maribus non adeunda Deę.* Iuuenalis. *Nota Bonę secreta Deę. Gynętiam* hanc, eiusceq; sacra, *Gynętia,* vocasse Græcos, Plutarcus perhibet. Fides Catholica plures natura Deos detestatur vt nefas; participatione

autem, ex sacro volumine, Deos admittit; *ego dixi Dij estis*. In Psalmo. *Cōstitui te Deum Pharaonis*. (auctoritate nimirum) in Exodo. Apostoli *Dij* vocantur. *Apostoli, non homines*, (ait Hieronymus lib. 3. Commen. in Matt. cap. 16.) *sed Dij appellantur*. Cardinales, & Episcopi hæredes legitimi, & successores Apostolorum sunt: Heres eorumq; successor non es? Proculdubio, Cardinalis amplissime. Hinc & particeps Deitatis illorum, auctoritatis scilicet, atq; muneris Bona *Gynetia*; *Bona*, Dea.

Genius bonus, boniq; Genij Genietum es insuper: Tribunus itidem fidelis plebis; Patritius Fidei; Procer Ecclesiæ; quadrigalis Curulus; Pater Conscriptus; Senator & Consul. Non quidem ad illa cum 634. turribus, 22. mill. porticibus mœnia: non ad Pontes, Arcus, Portas, Rostra, Tholos, Atria, Metas, Fora, Gymnasia, Thermas, Arces, Viuaria, Xystos, Theatra, Colossos, Ludos, Spectacula, Hypodromos, Pineas, Gregostases, Naumachias, Circos, Septizonia, castra, tuenda; sed ad veritatis Euangelicæ molem Atlanteis humeris fulciendam Dei prouidentia constitutus.

Parasitus non (etsi Cherilus) habebor; tuarum

rum dum laudum choros exerceo; Siquidem laudabiles sunt Ecclesiæ Principes; & qui eos non reueretur & laudat, detestandus. Plinius, in præfatione historię ad Vespasianum, animi distortus anxietate, ne tantę maiestatis nitorem ineptæ commendationis fuligine temeraret: Immensa, *inquit*, præter cæteras subit cura, vt quæ tibi dicantur, te digna sint. *Sunt næ digna; cura non subit: eaq; tibi Sanctum, fatum præludijs inclytis apparauit à fascia: Dum te ortum ingenuè, candidi venis ingenij ab incunabulis erumpentem, optima pręditum indole, virtutis amasium, florentis ætatis gemmas, canis prudentiæ venustantem, (ita vt morum splendore gliscente, quam de te cuncti ceperunt opinionem, interstitio nulla fefelleris) decumanæ fidei viris contestantibus, explorarim. Tui progenitores optimè meriti, vltra priscæ decus originis commendandum, Illustrissimæ prædicantur ingenuitatis Heroes, quia tam ingenuæ, tamq; illustris genuere dignitatis Heroa.*

Hæc sibi nobilitas sufficit, esse tuos,
Hæc tibi nobilitas sufficit, esse tuum.

Amant Genistam apes, eiusq; ipsis satis sunt flores voluptuosi. Testatur Plinius, docet experientia. Quin & Maio, Iunioq; mensibus

colles

colles indurat, decorosq; montium vertices obijcit, & fulgentes; ait quidam ex decumanis in arte medica super Dioscoridem. Ecce Genista pulcherrima, frondibus aureis nunc dierum in almo Septicollio fulges: ecce re quàm sis cara Regijs Apibus: quàm sis iuxta Aluearia consita, quàm tandem Aluearij sacrosancto, quasi apis argumentosa, Genistæ floribus ebria deseruias Hero.

Genista cum esses (mirificum) genuino tamē colore carebas: Hyacinthinus enim, natiuo antipos, obtegebat; vnde alieno huiusmodi coloris amictulo sublitentem, incognitam fere omnium oculis te reddebat. Ast vt cęlum te ab tibi abnato colore gloriosissimè vindicauit, exuta es cęrulo, tuoq; rubori Seraphico restituta. Micuit illico pulchra Genista, vt rubuit; patuit illico virtus Genistæ, fulgor innotuit, & in Septicollij vertice purpurascens decus emicuit, Apes allexit.

Adgeniosum igitur Gynetij *Genij gremium, ad geniale Martij Genistetum, mei affectus apecula (anhela næ, ventorum circumcirca luctantium turbine conuoluta, trinsantisq; hirundinis excursibus agitata) vt amuolatu saltem, refrigerioli stillam carpat, alas explicuit. Vm-*

bra

bra Genistæ sacra est, salutifera, auspicata, etsi parua, non despicabilis: imò nucis, & suberis vmbris amicior, atq; tutior. Elias Iezabel iram fugiens, proiecit se (*inquit Textus lib.3. Reg. cap.19.*) & obdormiuit in vmbra Iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eũ,&c. *Iuxta Caldaicum Paraphrastem, arbor illa sub cuius vmbra sedit & quieuit Elias, non quidem Iuniperus, sed Genista erat. Siquidem loco,* sedit subter vnam Iuniperum, *inquit ipse,* sedit sub vna Genista. *Augustinus Iustinianus, & Caietani interpretes, illud Psalmi* 118. *cum carbonibus desolatorijs (vertente Hieronymo cum Pagnino, Felice Pratensi, Flaminio, & alijs,* Iuniperorum) *legunt* Genistarum, *nimirum,* sagittę potentis acutæ cum carbonibus Genistarum. *Concipiunt enim carbones Genistæ, ardentissimè ac tenacissimè ignem; quamuis, purpuream ponè propèq; habeat faciem, ita vt cæteris par non luceat, ignem tamen potentissimè retinet atq; seruat. Eia igitur, Genista genialis, excipe me sub vmbra protectionis tuæ; excepisti Eliam ab impiæ Iezabel facie fugientem, excepisti Angelum Eliæ custodem; excipe me, non profectò Prophetam, sed Prophetarum filium. Ex adoptiuis Christi*

Iesu

Iesu magni Prophetæ, magnus Propheta surrexit in nobis, *vnus ego sum filius : filius hinc Prophetæ. Franciscus Seraphicus Propheta fuit, canitur enim de ipso.* O iudex homo mentium tu nostræ militiæ currus, & auriga : ignea pręsentibus transfiguratum fratribus in solari specie vexit te quadriga. In te signis radians, in te vētura nuntians requieuit spiritus duplex Prophetarum. *En me filium Prophetarum.* Excipis Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui, *Franciscum ipsum, quem impugnant Iezabeles aliquæ non fuisse Angelum illum, afferentibus Leone x. Pont. Max. in Bulla Vnionis,* Ad Vineam, *asserente Seraphico Bonauentura cum alijs grauissimis, summisq; in sacra re litteraria Viris : Sanctis etiam ab Ecclesia canonizatis. Excipis Angelum hunc cōtra calumnias Iezabelium defendendum, & protegendum. Et ne protraham, rumpo moras. Excipis Eliam noui testamenti : Vides in eius officio Eliæ, symbolum, dum canitur :* Tu nostræ militię currus & auriga, ignea in solari specie vexit te quadriga. *Vtrumq; de Elia legimus lib. 4. Reg. cap. 2.* Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius. Ecce currus igneus, &c. *Ille in*

monte

monte Horeb Deum meruit, in ſibilo auræ tenuis *alloqui cernere tranſeuntem, audire aſſantem: Elias hic noſter in monte Aluerna, non in ſibilo auræ, ſed in eamet forma pro nobis aſſumpta, Deum maieſtatis intuitus eſt. Excipe igitur ad te venientem,* Geniſta Seraphica, *Eliam hunc Seraph. Charitatis flammam diutius retines ò* Geniſta; *idcirco cum carbonibus tuis, veritatis pietatiſq;, Hoſtium omnium deſolatorijs;* Sagittæ potentis *Eccleſiæ,* acutę, in corda inimicorum Regis, *ad deſolationem omnigenam ſtructuræ contrariæ, fatis æthereis perſecundis perducent. Auiè nil pergo; hoſtiles enim machinationes, vti ex Supremæ Inquiſitoribus vnus, euertis: congruit igitur te ſagittis Potentis acutis, carbonẽ deſolatorium ingeri.*

Deſolare agedùm hoſtes Franciſci: Vah; nolunt audire fuiſſe Virginem: Vah; nec fuiſſe in ſua iuuentute caſtum: ſed neq; habuiſſe vulnera ſanguinolenta; nec piè dicendum in vtero iuſtificatum, vt de alijs inferioribus Sanctis eſt pietas. Imò fuiſse laſciuum, & vſq; ad annum 25. ambulaſſe in via perditionis. Vah: De tali ac tanto Eccleſiæ lumine ſic impudenter, & irreuerenter blaterare. Bonauentura ne, Bernardinus, Lyra, Niſſa, Tres ſocij, Celanus,

Specu-

Speculum, *Conformitates*, *&* *Chronica hæc?* *Ecclesia hæc in legenda Breuiarij* 4. *Octobris?* Vah, qui destruis Templum Dei.

*Laudis munerisq; tui est, veritatem protegere, fouere pietatem, profligare finibus, & à Fidelissmi exturbare errores, & miracula falsa. Ad hoc Optimus Ecclesiæ Sponsus Christus, te Cardinem fecit; ad hoc tibi suas Vicarius Christi vices commisit, Almeq; Vrbis in spiritualibus habenas tradidit vt sis alter Ille: Defensor, & Protector veritatis. Prouectio tua ad munia quæ nunc geris, fortunæ nequicquam tribuenda est. Cassiodorus lib.epist.*23. ab vno, *inquit*, Principe prouehi, videtur fortè gratiosum: nam & sub altero meruisse prouectum, apud vtrosq; constat fuisse iudicium. *Apis vnius ad Genistæ florem accessus, casualis quidem & fortuitus posset existimari, plurium autem crebrerq; floris bonitati adscribendus est. Vnius Principis gratia sæpiusculæ fortunæ, tribuitur, multorum vero, non Astro, sed meritis. Vnus te ad Signaturę munus assũpsit, alter ad ostrũ isq; ad Vicariatus euexit*: apud vtrosq; constat fuisse iudicium.

Claudam: nec me taxent audaciæ Momi; vermis cum sim scripturam hanc tam auream,

tam


tam sublimi columnæ suspenderim; Plinius illis pro me gerit morem, eadem ad Vespasianum præfatione, sic fatus. Verùm & Dijs lacte Rustici, multæq; gentes supplicant, & mola tantùm salsa litant, qui non habent thura: nec vlli fuit vitio Deos quoquo modo possit. *Nec tali tantoq; indignum dedicasse opus Heroe, gestibus ampullentur Nissenus (in præfat. ad lib. de opific. hominis, ad fratrem suum, S. Petrum Episcopum Sebastensem) pro gerit morem, dum ait.* Affero quidem ad te, Hominem pręclarum, Deoq; acceptum munus: non illud quidem te dignum, mea tamen facultate prope maius. *Nec tandem ita me despicabilem censeant, eoquòd sacco indutus, pauper sim & abiectus. Sum & ego Ecclesiæ filius, sum & membrum Catholici Fidelissimi. Si Cardo qui voluit est, cui adhæreo, cui me dedico, quem laudo; quod voluit sum ego: voluor & vertor in illo. Enim verò, Damiano teste, (opusc. 11. cap. 10.) Ecclesia parua sum, vti Fidelis, Ecclesiæq; legitimus filius.* Sicut homo, *inquit Sanctus,* Græco eloquio dicitur Microcosmos, hoc est minor mundus; ita etiam vnusquisq; Fidelium quasi quædam minor esse videtur Ecclesia.

Aggredere ſtrenuus, progredere felix, munijs inclytis decoratus; Aluearia circùm floreſce, tuoſq; Ambroſios, Geniſta genioſa, odores effunde; hiſq; Vaticanum Cęlios, Quirineum, Palatinum, Auentinum, Tarpeium, Exquilinum, deaura, venuſta, exorna, illuſtra, decora. Valeas Eccleſiæ Baſis, Fundamẽtum Fidei, Columna veritatis;

Valeas ad Chriſtianæ Reipublicæ commodum; viue quos opto, quotq; oro Neſtoreos; ad aureum Clauum; ad Summum Bonum.

∴

Sancte



Sancte Francisce propera, veni Pater accelera, ad Filium qui premitur, & teritur sub onere, palea luto latere.

Difficultas prima, quòd B. Franciscus vocari possit immaculatus.



Mmaculatus erat B. Franciscus quoad animam, & quoad corpus, saltem tum temporis, quo Passionis murenulis, Crucifixi Iesu, decoratus extitit, & ornatus. Tunc enim proculdubio, vt piè creditur, ex auctoritate Sanctorum, eruditissimorumque dictis multorum, à Dei munificentissima largitate, donorum & gratiarum affluentia cumulatus erat: vt sic veluti iam disposita foret, ad recipendam formam illam Stigmatum Sacrosanctam, materies. Immaculati sunt Sancti, & immaculati in sacro volumine nuncupantur. *Beati immaculati in*

via. Psal. 118. vbi Glossa: *immaculatos magnificat; hic enim grande opus facit, qui viam spurcitijs plenam, immaculato calle pertranseat, non inquinatur*. Seraphicus Doctor S. Bonauentura in eundem Psal. 118. hoc modo fatur. *Sic enim debet viator, tendere vt sit immaculatus corde ore & opere. De quorum primo dicitur Fiat cor meum immaculatum. De secundo: elegit nos ante mundi constitutionem vt essemus Sancti & immaculati. Sanctos dicit quantum ad affectum, & immaculatos quantum ad affatum, ad Ephes. 1. De tertio verò ait 2. Pet. 3. Satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri. Quasi dicat; immaculati exteriùs, & inuiolati interiùs*. Vides, immaculatum hominem, non obstante de carne peccati formatum? Gratia enim accedente, maculatum omnem, immaculatum efficit hominem Spiritus Sanctus: hoc est enim gratiæ munus totum hominem Sanctificare. Vnde si Franciscus, vt plenè probabimus, erat tum Sanctus, cum pretiosissima illa Passionis accepit monilia, immaculatus erat. Psaltes diuinus. Psal. 18. *tunc immaculatus ero, & emundabor*. Apostolus Paulus ad Ephes. 1. Vt essemus Sancti & immacula-

cula-

culati: ad quæ Glossa. *Sancti per gratiam in mente, & immaculati per puritatem in conuersatione*. Ad Coloss. 1. *Exhiberemus Sanctos & immaculatos*. Ad quæ Glossa. *Sanctos per baptismum, Sanctificatos interiùs: & immaculatos in proprijs personis*. Apostolus Iudas in sua Catholica. *Carnem quidem maculant*. Glossa ibi. *Hoc notatur non solum de fornicatione, vel adulterio sed etiam de vitio*: idem Apostolus ibidem. *Odientes & eam, quæ carnalis est maculatam tunicam*. Gloss. *Odientes non corpus sed immaculatum esse debemus odisse, vt immaculatum reddamus*. Ex ijs liquet; *immaculatum* dici, & quoad animam, & quoad corpus, hominem iustificatum. Fauet Ecclesia quæ de Cæcilia canit. *Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, vt non confundar*. Si corpus Cæciliȩ fieri potuit immaculatum, Francisci fieri quoque potuit: nec vllum inconueniens sequitur, *immaculato corpo del Glorioso P. S. Francesco*, dixisse: quandoquidem ita erat, vt patet ex ijs quæ subdimus.

B. Franciſcus immaculatus, & purus, quantum ad animam, & quantum ad corpus.

SAnctos Dei, eos præſertim qui pudicitiæ niuea canduere pulchredine, immaculatos inſcribi, nec Fidei, nec Pietati, Scripturę, vel Patribus obolet. Franciſcus Seraphicus, per totum vitæ curriculum, caſtitatis intactæ nitore pelluxit: Franciſcus, Filij Dei humanati imago mirifica Crucifixi, ab incunabulis, & à faſcia, vt nitidum pudicitiæ ſpeculum apud Deum, & homines coruſcauit.

Doctor Seraphicus mirabilium omnium B. Franciſci vitę explorator anteſignanus, & Lynceus contemplator, tam in legenda, quā in officio, Beati Franciſci iuuentam, laſciuiæ prorſus contagio teſtatur extorrem; fando. *Superno tamen ſibi aſſiſtente prę ſidio, nec inter laſciuos iuuenes poſt carnis petulantiam abijt &c.*

Diuus Bernardinus Senenſis in Euang. æterno. *Et quia renouationem memoriæ Paſſionis ſuæ, in qua ſapientia eius abſcondita eſt, in corde Franciſci ſculpſerat, per ſuæ crucis imitatio-*

tationem : nulla volebat maculatione fucari.

Chronica Ordinis par. 1. lib. 1. cap. 1. *Non si lasciò mai tirare da' sensuali appetiti, che non conseruasse com' vn' altro Gioseppe l'inestimabil tesoro della castità.*

Aloysius Lipomanus in vita S. Fran. cap. 1. *Superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes post carnis petulantiam abijt &c.*

Laurentius Surius in vita B. Fran. *Cum inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus : superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes post carnis petulantiam abijt &c.*

Iacobus à Voragine, serm. B. Francisci. *Assimilatur Angelo per suam puritatem.* Ait insuper sermonis initio. *Quantum ad animam, & quantum ad corpus. B. Franc. Sanctus fuit.* Quid clarius?

Nicolaus de Nissa serm. 181. *Filius Dei volebat in eius carne depingere pulchriores, & nobiliores figuras, quàm nunquam visæ fuerunt in carne alicuius puri hominis, scilicet plagas suas Sanctissimas : ideo fecit B. Franc. totũ virtutibus politum, pulchrum, atq; purissimum & quantum ad animam, & quãtum ad corpus.*

Propter quam puritatem obseruandam, miram austeritatem seruare voluit. Nonne ergo bene conueniens fuit, quòd in illa carne tam pura, & munda sculperentur insignia Summi Regis? Sic fuit de carne B. Francisci, nam ipsa fuit vt specalum tersum, & ita pulitum per eximiam puritatem.

Iacobus à Voragine Ord. Præd. serm. S. Franc. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum; hæc duo excellenter habuit B. Franc. scilicet corpus Sanctum, quia omnia, quæ in ipso fuerunt Sancta erant.*

Ioannes Raulin. Ord. Cluniacen. par. 2. Conc. *Byssus, quę est genus lini candidissimi signat munditiam castitatis B. Francisci, hac veste induebatur Franciscus.*

Ribadeneyra, Societatis Iesus, in vitis Sanctor. *Con l'aiuto di Dio non allentò mai la briglia à sensuali appetiti.*

Sanctus Bernardinus à Senis in Euang. ætern. serm. 60. *Quantò aliquod est purius, & perfectius, & syncerius, tantò magis est perceptiuum specierum. Quia ergo corpus Beati Francisci fuit figuratum sic specie Crucifixi: signum est, quòd caro eius fuit purissima, & anima eius quasi puritate deificata.*

Theo-

Theologus conformitatum lib. 1. fruc. 7. *Non quoad lasciuiam: Domino ipsum mundum seruante, quod Sacris Stigmatibus figurare volebat.*

Beatus Franciscus Virgo.

DIfficultas alia est, verbum illud, *Virginale,* prætendunt enim B. Franc. non modo non virginem, verum etiam nec pudicum in sua iuuenta fuisse, dicente Vincentio Burgundo in suo Histor. speculo. *Hic igitur Franciscus in sęculo constitutus, negotiator fuit officio, terrenis opibus Diues: in vanitatibus mundi indecenter nutritus, suisque nutritoribus insolentior factus; itaque cordis inquieti lasciuiam iocis, lusibus, gestu & habitu, verbis impudicis, & cantibus ostentabat, & sic vsque ad annos fere 25. in via perditionis incessit.* Idem ex eo refert Antoninus in part. histor. sed recitatiuè loquitur non autem assertiuè. Quos, ob vnius reuerentiam Religionis, & habitus, ob alterius Sanctitatem venerabiles, pręteermitto, & Beati Francisci candidam virginitatem assigno.

Chronica Religionis, par. 1. lib. 1. cap. 23.

oltre che ne facea testimonio fra Leone, il quale, non ostante, che gli fusse Confessore: contutto ciò bramoso d'accertarsene, orando lo dimandò à Giesù Christo. E per diuina reuelatione, ne fù accertato. Poiche egli vide tosto il Santo Padre in spirito sopra vn'alto monte, in vn'amenissimo giardino infra le rose, e con le mani piene pur di rose, e gigli, e gli fù dichiarato, che quel che vide sopra il monte, era il Santo, connumerato in Cielo, fra quelli che erano Vergini, non solo di corpo, ma di mente ancora.

Diuus Bernardinus Senensis, in Euang. ætern. *Caro eius fuit purissima, & anima quasi puritate deificata.*

Conformitates S. Francisci ad Christum Iesum, in Prologo hæc habent. *Puritatem, & integritatem in se habuit, & conseruauit.* Ibidem aiunt. *Abel puritatem habuit.* In libro 1. fruct. 1. *Similis Abel puritate: homo syncerissimus, à brutalitate corporis segregatus non sensualis, aut sensualitati corporis deditus.* Et cap. Franc. vir lætatur. *Videntes Angeli in diuino speculo puritatem, & virtutes Beati Francisci, lætati sunt in ortu eius.*

Didacus de Vega in Parad. glor. Sanctor.

tomo

tomo 2. *In monte Aluernæ fecit Deus ſigillum, & impreſſit illud in cæra carnis virginalis Beati Franciſci.*

Ioannes Pineda in Monarchia, par. 3. lib. 22. cap. 13. *Paucis annis ante mortem ſuam accepit Seraphicus Pater Franc. vulnera Chriſti in ſuo corpore virginali.*

Antonius Aluarez, par. 2. ſyluę die incarn. conſid. 3. *Quia Diuus Franciſcus erat virgo: fauit illi Dominus noſter imprimens ei ſacra vulnera.*

Petrus Valderrama in Theatro Religion. *Caro Franciſci fuit tam munda, quòd nunquam res mortuæ illam tetigerunt: fuitque mundior candida Syndone.*

Ferdinandus de Oxeda, lib. 4. de Aduen. Chriſti par. 1. c. 50. *Franciſcus, ſimilis fuit Angelis in puritate.*

Ferdinandus de Santiago, Mercennarius, in Conſiderat. tract. *Sicut tot Sancti Doctores intellexerunt, Franciſcus alter Angelus eſt, quia virgo eſt.*

Ioannes Oſorius Societ. Ieſu. *Inſtar Angeli B. Franc. Deo in puritate nitida miniſtrauit. Angelus habet magnam puritatem, ita Franciſcus mentis, & corporis.*

Vber-

Vbertinus de Casale in Arbore vitæ Crucifixi Iesu. *Quia corpus Beati Francisci fuit sic figuratum specie Crucifixi: signum est, quòd eius caro fuit purissima, & anima eius quasi puritate deificata.*

Osorius præadductus, in Conc. B. Franc. *Caro Francisci nunquam vitiorum vsu fædata fuit: neque spurcitijs, peccatricis carnis more, sordidata est.*

Lucas Vaddingus in Annal. Minor. tom. 1. *Nescio sanè, vnde huius tantæ maculæ inurende, & magnæ virginitatis excellentiæ tanto huic viro negan æ subrepserit occasio. Etenim quas hucusque potui videre huius S. P. historias, tam luxuriæ inquinamenta in eo negant, quàm puritatis gratiam dignè commendant.*

Franciscus Gemma Capuanus, in cant. 7. de laudibus B. Franc. *Virgo castissimus vixisti Francisce, vsque ad felicem transitum tuum, perpetuæ castitatis cingulo prçcinxit Dominus lumbos tuos: sepibus altis circumdedit castitatem mentis, & corporis tui Dominus.*

Cesset iam dubium, fuerit ne Franciscus Virgo, quandoquidem vberrimè fuisse probauimus, probatumq; videri potest in Flo-

reto

reto Aluernino : imò in Chronica, cuius vnicum probat sufficienter elogium.

Difficultas secunda, de Sanctificatione.

PIè credi potest ex rationibus, & congruentijs atque testimonijs assignandis. si verò obijciatur, quòd idem dici posset de quouis alio Sancto, ergo omnes fuisse in vtero iustificatos piè dicendum. Non valet obiectio: quando quidem fundamenta quæ fulciunt hanc pietatem, non reperies in quouis alio Sancto: vnde dici nequit de quolibet alio, sicut de B. Francisco, alijsq; cœteris, quos dignitatis eximiæ viri sanctificatos in vtero piè tenent, vt infra patet.

Ad Pietatem fidei requisita, tria sunt. Requisitum. 1.

IOannes Gerson celeberrimus Doctor; conditiones fidei pietatis tres adscribit: ibi. in 2. part. in fine, de mirabili victor. cuiusdam puellæ. Prima est: Vt ea quæ de fidei pietate dicuntur, faciant ad excitationem deuotionis, & piæ affectionis circa De-

um, & diuina quia ſcilicet reſonant in laudem diuinæ potentię, vel clementiæ. Hac eſt huiuſmodi pietas conditione prædita. Facit enim ad commendationem clementię Dei, eiuſque erga ſuam Eccleſiam prouidentię: confert planè ad excitationem deuotionis, & piæ affectionis erga Deum, & Seruum ſuum Franciſcum, Paſſionis eius monimentum inclytum viuam inquam Redemptoris effigiem Crucifixi Ieſu, qualem nullus alter Eccleſię Sanctus hactenus prætulit: Reſonat opinio hęc in laudem diuinę potentię, quę cui velit priuilegia poteſt conferre ſimilia, neque in vtrem abſtruſa vnquam, neque manus abſtrictas habens reputanda eſt, ne poſſit iuxta conſilium voluntatis ſuæ operari prodigia, concedere gratias, dona tribuere. Suadet ratio actum, potentia ſtante; ſiquidem irę tempore multos in vtero iuſtificatos legimus, Moyſen, Iacob, Sanſon, Dauid, Iſaiam, Ieremiam, Ioannem (& hic de fide) & Iacobum fratrem Domini. Gratiæ tempore manum abſtinuit, ab huiuſmodi gratia & priuilegio? Certò non: dum inſigniores Sanctos veteris, vt piè creditur, hoſce tali ac tanto inſigniuit hono-

honore; insigniores noui testamenti non insigniuit? Ad honorem, aliquo modo, gratiæ temporis pertinet, vt fauores, & gratias, quibus illi Sancti cumulati fuere, istis Optimus Maximus indulgeret: qui idoneos facit ministros noui testamenti.

Confert præterea pietas ista ad decus, & laudem, affectum, amorem, & deuotionem erga Stigmata Iesu Christi B. Francisci membris impressa opificio inclyto, portento mirifico, singulari prodigio, stupendo miraculo, raro spectaculo, ostento magnali, pollentia. Ad renouandam Christifidelium cordibus Passionis memoriam, vt canit Ecclesia in Missa pro Sacris Stigmatibus, hoc Deus benedictus Iesus effecit in Seruo: non est igitur incongruum piè credere, talem ac tantum Fidei firmamentum, Sanctum inquam Franciscum, honoratum fuisse à fonte bonorum omnium Deo, sicut alij Sancti honorati leguntur.

Praxis huiusmodi Pietatis.

EST iam in praxi Pietas hęc lapsis hucusque lustris à pluribus. Primò in typis, vt

vt patet in libro, non quidem recens edito, sed bene antiquitus Biga salutis, vbi hęc pietas innotescit. Secundò in scholis, vt extat in assertionibus Generalibus, & Prouincialibus, defenditq; R. P. Gregorius Florentinus Sacræ Theologiæ Generalis Professor; nec non & R. P. Bonauentura Castellina Sacræ Theologiæ Generalis Professor, & Minister Prouincialis Prouinciæ Thusciæ, in conclusionibus solemnibus; pium scilicet esse credi B. Franciscum in vtero Sanctificatum, propter effectus alios singulares, quos Deus in eo dignatus est operari. Tertiò in suggestis; fuit enim prędicata hæc pietas in Cathedrali Ecclesia Florentina Sancta Maria de Flore, in octaua Sancti Ioannis Baptistæ, vt in Floreto Aluernino apparet; Fuit in Aduentu prædicata Romæ, per R. P. Alexandrum Romanum, Theologum atque insignem Romanæ Prouinciæ Ecclesiasten, & ego audiui ab eiusmet ore. Prædicata fuit insuper Florentiæ in Ecclesia Parochiali Sãcti Saluatoris, à R. P. Professore Theologo Bonauentura de Castellina: Fuit etiam in Cathedrali Pistoriensi, à multis, cum in ea Ciuitate comitia Prouincialia gererentur.

Et

Et tandem in Prouincia Neapolis, atque alibi. Quartò demum Pietas ista, apud viros non minus ac doctos pios, locum obtinet pietatis, quam sua manu firmarunt, subscripserunt, præloque dedere. Semper autem Piorum animi delectati sunt: atque in tale tantumque mysterium in Francisci persona patratum, amore flagrarunt.

Requisitum. 2.

SEcunda conditio requisita, quòd circa illa quæ habentur de pietate fidei, habeatur aliqua coniectura probabilis, à viris pijs, & eruditis habita talis. Sufficit vna coniectura sola iuxta Gersonem, vt pietas fidei esse possit: vnaque sola probabilis coniectura in suo esse fidei constituit pietatem. Coniecturas in Floreto Aluernino assignatas, rationes, & congruentias ibi descriptas, Theologi quotquot ipsum examinarunt, & approbarunt Prelati qui eum prelo dignum subscripserunt pensarunt, atque probabiles æstimarunt. Extant enim plusquam duodecim coniecturę probabiles in libro ipso; quarum aliquas in præsentiarum hic inseram.

ram, vt ſufficientiam coniecturæ vnius, plures corroborent, & confirment.

Oſtendit Auctor coniectura vnica pietatem fidei ſtabiliri.

QVi aliquorum iuſtificationes in vtero aſſerunt viri, variè ſe gerunt in re fundanda. Alij coniecturam, alij rationem aſciſcunt, alij tandem nil aliud quàm auctoritatem conflant. Petrus Commextor in ſola intra vterum colliſione fundat Iacob fuiſſe in matris viſceribus Sanctificatum. Diuus Ambroſius in eadem infantium lucta ſe fundat. Ecce vna coniectura ſola, fidei pietas nititur. Qui B. B. Dominicum, & Nicolaum in vtero perhibent iuſtificatos referente S. Antonino, in vna ſola coniectura, ſe fundant. Aiunt enim, quòd B. Dominicus Sanctificatus in vtero cenſetur, eò quòd adhuc in cunis, lectum ſuopte nixu egreſſus, humi iacebat. B. Nicolaus, quia natus illico rectus conſtitit pedibus. Ecce coniectura vnica fidei pietas iam fulcitur. Alij pariter de B. Dominico, eo quòd in eius fronte viſa ſit ſtellula, opinati ſunt eum prodijſſe ab

vtero

vtero Sanctum. Marcus Marulus Stephanum Presbyterum Constantinopolitanum in vtero Sanctificatum tradit, quia ieiunabat ab vtero. De Iacobo Apostolo, eo quòd similis esset in facie Saluatori. Ecce coniectura vnica probabili basim accipit fidei Pietatis columna. Metaphrastes auctoritatem solam tradit: similiter alij rationem autem, & congruentiam Ioannes Gerson &c.

Coniecturæ pro Sanctificatione B. Francisci.
Coniectura. I.

PRima coniectura, ratione, simul, & auctoritate nititur, quę sola sufficit tum ob rationem, cum etiam ob auctoritatem ipsam, quia & antiqua est, & viri grauis, & eruditi. Ea est Biga salutis, non quidem recens sed bene vetus cum *barba candida*. Audias quæso, coniecturam, rationem, & auctoritatem, quę tales sunt. *Franciscus assimilatur Christo in natali reclinatione: nam sicut Christus Dominus, tempore suę natiuitatis fuit reclinatus in præsepio, super quo exultauerunt Angeli, gauisi homines, ac dęmones territi: sic in natali Beati Francisci. Legitur quoque de il-*

lo, quòd mater eius Picca nomine, adueniente partus tempore, nusquam potuit parere: sed instanter petiuit vt portaretur ad stabulum, in cuius præsepio peperit Franciscum, Christo Domino similem, ratione loci, in quo editus est. Similiter tempore natiuitatis B. Francisci, venit quidam decorus aspectu petens eleemosynam in specie peregrini; deinde Puerum natum sibi præsentari instanter poposcit. Iussu matris oblatus est Puer, quem benignè amplexatus benedixit, ac in humero dextro signum Crucis illi imprimens, dixit adstantibus. In vico isto hodie nati sunt duo pueri; iste vnus, & alter alius: iste erit de melioribus hominibus de mundo, sed alter de peioribus: ideo custodite hunc, quia ei Dæmones insidiantur. Ex ijs opinari possumus, quod B. Franciscus adhuc in vtero Sanctificatus fuerit: quem Angelus ante baptismum sic amplexabatur. Sicque Angelus disparuit. Ecce coniectura probabilis, sufficiens ratio, antiqua auctoritas, testimonium dignum. Nonne hoc ly, *stare pedibus rectum in ortu; ly sydus habere in fronte*, siue *egredi lectum, iacereque humi*; ly *collisione*, ly tandem *ieiunare à fascia*, æquiparandum? Non æquiualet, Thaù syderi? Non plus

age-

agedùm, Angeli gremio, iacere quàm solo? Iudicet pius.

De quinque notabilibus praecedentis elogij.

Primum.

QVinque in hac, res notabiles deprehendo, quarum quælibet suam efficit coniecturam. Primum notabile, *Exultauerunt Angeli in natali B. Francisci.* Idipsum ait Theologus conformitatum, in cap. *Franc. vir lætatur*, verbis ijsdem. Angeli exultant in ortu iustorum. Angeli peruolant cunam Sanctam. Angeli sunt ministri munditiæ atque iustitiæ, Angeli horrent peccato fætentia. Iustus erat Franciscus in ortu, ideo exultant Angeli. Sanctus erat, ideo volitant super cunam. Mundus erat à sorde peccati, ideo munditię Angeli odore munditiæ delectantur, nec horrent abolisum iam peccatum.

Secundum.


SEcundum est, ly, *dæmones territi.* Hoc ipsum testantur conformitates, lib. 1. fruct. 3. dicentes. *In hora natiuitatis B. Francisci tantus terror, & commotio fuit in inferno, quòd lucifer crediderit Christum ad iudicium descendisse.* eodemque libro fruct. 1. *In hora natiuitatis B. Francisci tanta facta est in inferno commotio &c.*

Tertium.

TErtium notabile ly. *In præsepio peperit Franciscum Christo Domino similem, ratione loci.* Idem conformitates, & historia ordinis, attestantur Annales Minorum doctissimi Patris Lucæ Vaddingo, asserunt plusquam 60. auctoritatis eximiæ viri, natum in stabulo B. Franciscum non contingenter, sed nutu & ordinatione diuina. Vnde si locus similis Christo fuit, locatum quoque fimosa tellure Franciscum ratio suadet, coniectura verificat.

Quartum.

QVartum insigne talis elogij est, ly, *quem amplexatus benedixit*. Angelus suscepit in vlnas suas; amplexatus eum est, ac benedixit: idem conformitates affirmant, lib. 1. fructi 1. Beato nato peregrinus quidam, domum B. Francisci Patris accessit, & petita eleemosyna, puerum natum petijt &c. Et prosequens ait quòd ille peregrinus erat Angelus: *declaratus fuit ab Angelo in specie peregrini*. Petrus Valderrama Augustinianus, Theologus, & celeberrimus Prędicator, eundem sic Angelum ex alijs Auctoribus tradit, dicens. *Peregrinus eleemosynam petens, ad ianuam matris accessit, datumque sibi Infantem recens natum accipiens, velut amplexans, eum ad pectus applicuit*. Omnia munda mundis; Hinc *Viri miserunt manum, & introduxerunt Loth: apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius*. Genes. 19. Ecce iustitię ministri Angeli iustos, & Sanctos tactus etiam beneuolentia prosequuntur. Hinc non Esau sed Iacob iustum & Sanctum Angelus amplexatur in lucta. *Ecce vir*



luctabatur cum eo vsque ad mane. Genes. 32. Hinc antequam Altarium erigatur Altissimo, dij alieni abijciuntur, & mundantur, & vestimenta idolis afflata commutant altarificantes. Gen. 35. Hinc niuea columba cœnum horrens pede non tangit, imò deuolat ab immundis: regressa non quidem cadauera fætida sed virentem oliuam carpit & portat. Genes. 8. Non ita planè ales teterrimus carnifex coruus. Hinc re satis vera (dato omnia fluxisse mysterijs) Angelus polluta labia manu non tangit sed calculo flammeo. Isai. 6. Hinc non manu carnes sed virga, Iudic. 6. carnalium forsitan olens vitia: non obstante fuisse figuram; Hinc verticis crinem Sancti Sydereus Aliger apprehendit; Daniel 14. Nec pugnat, duos quòd Raphael camelos assumpserit, & quatuor ex vernis Raguelis, Tob. 9. Non enim in camelis horror peccati, neque in seruis Deum timentis heri vitiorum fæditas obolere præsumitur. Quòd si in resurrectione ad nouissimæ tubæ clangorem Angeli damnatos in vallem arripiant, punitiuæ iustitię instrumenta censentur, quorum Francisco terror non congruit: neque hinc fit vt Angeli vo-

lu-

luptuosè peccaminosa tractent, quia & altera fauet opinio, damnatos ad iudicium à dæmonijs turpiter, & vituperabiliter deferendos.

Quintum.

QVintũ insigne est sigillatio dorsi Thaù purpureo; quod exploratum fit, verbis illis: *in humero dextro signum Crucis illi imprimens.* Quod alij multi asserunt & Doctissimus Petrus in Theatro Religion. *Et cum recessisset, inquit, inuentum est in dextro ipsius pueri humero ✝ impressum signum.* Sanctum Thaù super humerum eius, vt historiæ narrant insculptum, insigne est vtiq; probabilitatis indicium, propter varios atq; diuersos quibus ille scatet character significatus, & sensus.

De signo Thaù.

THaù, quo Franciscus recens natus traditur fuisse signatus, accipitur variè, multiplex significatu, mysterio inclytum. Omitto Prædestinati esse quoque symbo-

lum; iustificati hominis vti signum apud Ezechielem, cap. 9. Agnosco: Ibi enim iusti Thaù signantur. *Signa Thaù super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Theodoretus hoc loco sic. *Pij erant qui lugebant, & plorabant populi scelera: idcirco, signo conspicui sunt.* Gloss. interlin. ad illa verba Ezechielis, *super quem videritis Thaù ne occidatis*, gratiæ signum innuit. *Qui potest dicere: signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hoc est lumen gratiæ tuæ alter subdit. Nicolaus de Lyra, *iustitię signum*, Thaù indicat, dum à *Thora*, quod est lege, deriuatum ait. Hugo Cardin. in Ezech. 9. *signum perseuerantiæ.* Cornelius Cornelij à lapide in Comment. Ezech. *Thaù* idem esse inquit ac *Tham* Hebraicè, quod est; ait. *Innocens & perfectus est; ac proinde dignus qui in vita seruetur.* Thaù quoque Græcis atque Latinis, *vitæ symbolum*, fuisse non latet, theta verò mortis. Vnde iudices, teste Asconio Pediano, *theta* litera notabant damnatos; *Thaù* verò absolutos, & liberatos. Hæc, multaque alia à Græcis Romani, ab Ægyptijs Gręci, ab Hebræis Ægyptij acceperũt.

Hinc

Hinc isti, Serapidis pectori Thaù scribebant, quasi *signum vitæ:* vt ait Iacobus Gratzerus, lib. 1. de Cruce cap. 51. vbi ex Ruffino, Socrate, & Sozomeno confirmat, contra qui negant. Thaù denique teste Cornelio, loco citato. *Signaculum ac tessera est amicorum Dei.* Erat igitur Puer Franciscus Angeli digito consignatus, iustitię signo tum iustus. Signo gratiæ, gratus Deo. Signo *Tham*, perfectus, & innocens, dignusque seruatu. Tessera, & signo amicorum Dei, eiusce amicus. Thaù si quidem omnia hęc significare iam vidimus.

Coniectura. 2.

POstquam B. Franciscum Picca mater in aluo concepit, illustrata diuinitus extitit, & prophetię donata charismate: quandoquidem futura contingentia filij sciuit, prout ipsa (teste Theologo cõformitatum multis locis Historiæ) declarauit. Qui par. 2. Franc. vir lætatur ait hoc modo. *De præsenti, & de futuro gaudium habuit, & lætitiam Picca ipsius B. Francisci Mater, velut altera Elisabeth, spiritu irradiata Diuino: cum enim*

B. Fran-

B. Franciscum concepisset, sciens quę fienda erant per ipsum filium suum, non solum lętata est, vt Elisabeth in ortu eius, sed & ipsum Ioannem in baptismo vocauit. Dans intelligere B. Franciscum filium suum, Ioanni Baptistę similandum in pluribus, & conformandum. Si enim B. Franciscus similis factus est Christo, à fortiori Ioanni Baptistæ. Nam B. Franciscus similis Ioanni Baptistę reperitur. Hæc ille. Matres prophetant gratia paruulorum.

Coniectura. 3.

SPeculum S. Francisci, à discipulis eius Fabiano, & Hugelino editum, vt patet in *Antiquitatibus Franciscanis.* Coloniæ impressis, ab Antonio Posseuino *in apparatu Sacro*, cum expunctione epistolæ Ocham contra Ioan. 22. scriptæ commendatum, de hora qua B. Francisci corpori anima fuit infusa fatur sic: *statim vt anima Beati Francisci illius corpori fuit infusa, tantus splendor, tanta lux, tam immensa claritas in valle Spoletana apparuit, quòd omnes dæmones qui in isto caliginoso aere habitant, perterriti, & stupefacti, iudicium timuerunt aduenisse. Vnde consilio*

per

per luciferum vocatò dixit, de B. Franciscò, quòd ille homo vult guerram facere, quam eis nunquam aliquis fecerat post Christum, & suos Apostolos. Et ob hoc fuit sibi deputata vna legio dæmonum; vt eum in vtero existentem, vel iam natum in balneo, vel in cunabulis suffocarent: sed statim Deus, ex alia parte legionem sibi assignauit Sanctorum, qui eum sollicitè custodientes in nullo eum lædere permiserũt. Hæc speculum S. Francisci, cuius meminit Posseuinus, in Apparatu neque vllum ex verbis quæ ipsum continet, vt patet in Indice, castigauit. Non enim est inconueniens, quòd Deus, præter Angelum vnum Custodem, qui datur cunctis hominibus, assignet etiam pro aliquo tempore, ad custodiam plures Angelos quia omnia operatur iuxta Sapientiam suam, & secundum consilium voluntatis suæ. Hoc ipsum prodigium referunt Antiquitates S. Franc. Coloniæ Agrippinæ emendatiori typo cõmissę, anno 1623. quæ, in Centuria 3. Auctoribus F. F. Fabiano, & Hugelino D. Francisco coęuis. Narrant huiusmodi. *Statim, vt anima Beati Fran. illius corporis fuit infusa, tantus splendor, tanta lux, tam immensa claritas in valle*

Spo-

Spoletana apparuit, quòd omnes dæmones, qui in isto caliginoso aere habitant perterriti & stupefacti iudicium timuerunt aduenisse. Vnde Concilio per luciferum vocato per maximo ipsorum spirituum malignorum, dixit ipse lucifer de B. Francisco, quòd ille homo vult guerram facere, quam eis nunquam aliquis fecerat post Christum & Apostolos, & ob hoc fuit sibi deputata vna legio dæmonum, vt eum in vtero existentem, vel iam natum in balneo, vel in cunabulis suffocarent. Sed statim Deus ex alia parte legionem sibi assignauit Sanctorum Angelorum, qui eum sollicitè custodientes, in nullo eum lędi permiserunt. Ecce qualiter adhuc in vtero custoditur ab Angelis, & gratiæ radijs illustrat, vt legitur, Vallem totam. Applicent æmuli, adaptent, attribuant sponte sua causis quibus velint; quia deuoti S. Francisci, splendorem illum insignem, per ambitum Vallis effusum, in Pueri gratiam redigunt; & anticipatę iustificationis indicium contemplantur.

Cer-

Coniectura. 4.

OMissis tot alijs æui nostri, qui ex vetustissimis Ordinis monimentis declamationibus sacris multa concinnant, Pelbartum à Temesuar, Theologum, & Prędicatorem non vulgarem, antiqua quoque præditum auctoritate recenseo; fantem sic. *Francisco nato tantum lumen resplenduit, vt dæmones territi, & stupefacti &c.* Id ipsum, & alij recitant de natiuitate eius.

De stabulo. Coniectura. 5.

HVmilis Iesu ortum in stabulo repræsentauit in præsepio quoque nascens puer Seraphicus: vnde verisimile nihil fit mihi, tanti mysterij figurantem, gratia sterilem sic fuisse: vt dignè, secundum eiusce mysterij dignitatem, non gereret quod signabat. Diuus Hieronymus in Commentarijs, super verba illa, Sagittæ potentis acutæ, peccato fædatum atque pollutum excludit à ministerio, & obsequio Dei; Isaiæ labiorum immunditiam versans. *Quoniam* ait S. Doctor. *Labia habebat immunda, propterea*

pterea mittitur vnus de Seraphin, & tollit carbonem ignis de altari, & tangit labia ipsius, & linguam, & purgat eam. Et quid dicit? Ecce hoc tetigi labia tua, & mundaui linguam tuam; Et statim quid dicit? Quem mittam ad populum istum, & quis ibit? O mysteria scripturarum; quandiu habebat linguam dolosam, & labia immunda non ei dicitur, quē mittam, & quis ibit? Mundantur labia ipsius, & statim mittitur, ad loquendū. Ergo qui labia immūda habet, nō potest prophetare, non potest mitti in obsequium Dei, cū carbonibus desolatorijs. Si labiorum indignitas obstat, vt quis destinetur obsequio Dei, quantò magis animæ? Magnum mynerium Franciscus in ortu gerebat, Deum incarnatum in præsepio vagientem repræsentabat, Fidelium mentibus reducebat humilem Iesum, plenum gratiæ, & veritatis, ideo res exigebat, vt tali ac tanto mysterio gratiæ, gratiosus obsequeretur; dignaque tantę congrua dignitati, munditia, & animæ puritate, fungeretur his munijs. Quia si pollutus labijs prophetare, iuxta Hieronymum, Christum non potest, nec potest mitti in obsequium Dei; pollutus anima pollutus corpore (accipit

pit enim ipſum ſuam ab animæ puritatem) minus dignè Chriſtum poterit repræſentare, vt Franciſcus in præſepio repręſentauit ad viuum; minus tandem in eius obſequia mitti vt miſſus fuit B. Franciſcus, in obſequium Natiuitatis Ieſu, ab vtero matris in ſtabulum. Diſputent quantum libeat, æmulantes, nos ita de Franciſco ſentimus.

De terremotu in inferno facto hora qua Franciſcus natus eſt. Coniect. 6.

ORcus palluit, atque immugijt, ad ortum B. Franciſci territatus eſt Herebus, & expauit, dum cum tanto lumine Redemptoris noſtri Vexillarius inclytus, fimo præſepij membra ſubſtrauit. *In hora natiuitatis B. Franciſci* (inquiunt conformitates lib. 1. fruct. 3.) *Tantus terror, & commotio fuit in inferno.* Et proſequitur Auctor eorũ elegantiſſimè; qui ibidem effuſus ait. *In hora natiuitatis B. Franciſci, tanta facta eſt in inferno commotio &c.* Biga ſalutis. *Naſcente Franciſco dæmones in inferno territi ſunt.* Id ipſum alij pluſquam 12. teſtantur in ſuis hiſtorijs. Peto nunc, quod nam ſignum viderunt

runt in illo puero, quia sic tremefacti sunt dæmones? Gratiam arbitror: videre siquidem potest dæmon gratiam in anima creatam, Deo volente. Agnouit eum infernus à gratia, quæ in eius anima relucebat.

Coniectura. 7.

SIcut Apostolicæ traditiones, quę de fide sunt, creduntur, & prædicantur, eo quod à primis Fidei Magistris, ab infallibili Veritate Christo Deo, & Domino nostro, edoctis, sint traditæ: ita traditiones piæ, quæ nec Fidei, morumue aduersantur probitati, vti à nostris maioribus, Christiano Zelo, & fide pollentibus emanantes, abijciendæ non sunt: sed amplectendæ, & de pietate fidei credendę, & prædicandæ: idcircò Moyses Deuteron. 32. ait. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, Maiores tuos, & dicent tibi.* Ioel 1. *Super hoc filijs vestris narrate, & filij vestri filys suis, & filij eorum generationi alteræ.* Ecclesiasticus 7. *Non te prætereat narratio Patrum tuorum ipsi enim à maioribus suis ediscerunt.* Iob. 8. *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga*

Patrum

Patrum memoriam. Decret. 1. par. dist. 12. *Dedecus abominabile, & ridiculum, vt traditiones, quas à Patribus antiquitus accepimus, infringi pateremur.* Si tantæ igitur auctoritatis est traditio; vim sibi ac robur asciscit; traditio illa, quæ in Ecclesia Cathedrali S. Ruffini Ciuitatis Assisij tot sæculis perseuerat, euertenda non est leuissimis hominum iaculis oppugnantium. Angelus eandem peregrini speciem præferens Puerum tenuit in sacrosancto lauacro: baptizatoq; ab omnium ipse euanuit oculis; genuque sui formam lapide reliquit impressam, qui hactenus extat, ac pretiosi pignoris more, cancello ferreo in eiusce Ecclesiæ muro seruatur inclusus. Cauum illud hisce oculis ego met vidi, & rei pietatem, à RR. Admodum Canonicis S. Ruffini alijsque fide dignis Assisij viris, edidici. Traditio hæc, vti à Maioribus deriuata, fidelissima quin & qui fidem rei huius testimonijs cumulent, viri non desunt. Satis tamen de ipsa: dum & vetustissimæ claustrorum picturę (pollent enim, & ipsæ, maximè priscæ Auctoritate sua) immemorabilem traditionem confirmant; tenentem Angelum in fonte Franciscum portenden-

tes vt sæpius atque in pluribus vidi claustris. Ecce coniecturæ series peragrata; En quoties tractatur, & contrectatur, suscipitur, baiulatur, amplexatur, ac tenetur ab Angelo ante baptismum: conijciat Pius: deuotus huiusmodi cœlestia ponderet munia, quibus Francisci personæ sese Angeli ministri iustitię, atque munditiæ obsequentes exhibent.

Ad Pietatem Fidei. Requisitum. 3.

CONditio tertia, quæ iuxta Cancellarium ad pietatem fidei requiritur, est, quod ea, quę dicuntur de pietate fidei, non includant aliquid cōtra fidem aut bonos mores Canones, ac decreta Ecclesię, vel pugnet in aliquo contra doctrinam, & sententias Patrum, & tandem quod habeat congruentiam aliquam, vt pietas fidei esse possit. Habet hæc omnia nostra Pietas: neque indiget probatione, non obesse Fidei, nec bonis moribus, Patrum sententijs, ac doctrinæ decretis Ecclesiæ, nec Concilijs. Quod patet expresse non est probare necesse: Nullum si quidem Concilium, aut decretum

Eccle-

Ecclesiæ dicit, ne de alio, quàm de Ioanne, & Hieremia, piè credatur in vtero iustificato. Docent bene Patres de fide nullum, nisi Ioannem, (de Hieremia aliqui dubitant esse de fide) in matris visceribus sanctificatum haberi. Ecclesia tenet id de fide, quamobrem festum Natiuitatis S. Ioannis celebrat, quod de altero Sancto non facit. Verum de alijs Sanctis, quibus Pietas priuilegium sanctificationis adscribit, Ecclesia nũquam vetuisse legitur, ne piè credantur in vtero Sanctificati.

Congruentia ex doctrina S. Thomæ deducta B. Franciscum piè credi posse fuisse in vtero Sanctificatum.

Hieremiam in vtero Sanctificatum fuisse Angelicus Doctor fassus, hunc in modum 3. par. q. 28. art. 6. eius congruentiam nectit. *Conueniens*, ait, *videtur fuisse vtrumque dictorum in vtero Sanficatum, ad præfigurandam Sanctificationem per Christum faciendam. Primò quidem per eius sanguinem, secundum illud Heb. vltim. Iesus, vt Sanctificaret per suum sanguinem, populum suum,*

extra portam passus est: quam quidem Passionem Ieremias apertissime, & verbis, & mysterijs, prænuntiauit, & suis passionibus expressissimè præfigurauit. Hæc S. Thomas. Congruentiam istam Francisco vulnerato, & per quinque fenestras amorem Seraphicum expiranti, pius accommodo, deuotus adapto; Si enim, iuxta diuinę voluntatis interpretē, Thomam Sanctum, conueniens fuit Sanficari in vtero Hieremiam; tanquam Passionis Christi apertissimè, & verbis, & mysterij prænuntiantem, & suis doloribus, & passionibus præfigurantem: cur quæso non conueniens dixerim, eodem priuilegio potiri Franciscum? Quis, dicite Christiani, Passionem Christi expressius, & clarius repræsentauit, Ieremias in fieri, vel Franciscus in facto? Sinamus, quòd Ieremias prænuntiauit, & præfigurauit passurum; passum Franciscus repræsentauit, & rememorauit; Sinamus hoc; quia possem etiam dicere, quòd nobilior fuit Francisci perfiguratio, quam illius pręfiguratio, quanto melior fuit annuntiatio pręcursoris, quam aliorum; Isti enim in carne venturum, ille autem in carne pręsentem, ostendit: vnde plusquam Prophe-

pheta meruit ab ipso Domino nuncupari; inhæreamus rei substantię: quis magis clarè, magis expressè, magis realiter, atque viuaciter Christi Passionem repræsentauit? Ieremias suis doloribus laboribus, & angustijs peruulgaribus, & communibus, vt alij Sancti, nimirum, Abel, Ioseph, Isaac, Iob, Isaias, & multi alij; Franciscus autem incomparabiliter, nobilius, clarius, & expressius, non quam Abel, Isaac, Iob, Ieremias, &c. verum, & quam omnes Sancti veteris & noui testamenti, Passionem Crucifixi Filij Dei Iesu repræsentauit, configurauit, & perfigurauit; biennio Saucius, cum effusione largiflua sanguinis, ex manibus, pedibus, & latere; cum quatuor mirificis clauis infixis, opificio inclito Summi Artificis fabrefacti, de materia nouę Creationis, vt asserit Alexander 4. Pont. Max. in sua Bulla. Ergo congruentia, quam Sanctus Thomas Ieremiæ annectit, Francisco aurea satis affulget.

Congruentia ex Ludouico de Tena.

DOctor Ludouicus de Tena, ad Ieremiæ Sanctificationem tuendam strenuis-

nuissimè pugnat, & Angelicum Doctorem imitatus, ipsam in ordinem ad Christi Passionem, confirmat, dicens. *Congruenti ratione ostenditur, cum Deus non habeat suam gratiam alligatam Sacramentis, ad quorum receptionem requiritur esse extra vterum, potuit facere hanc Sanctificationem intra vterum: in quo nullus meritò dubitare potest. Si quidem nullam inuoluit contradictionem: quod verò de facto fecerit, non leuis congruentia suadet, supposito, vt de fide, Christum vt hominem fuisse Sanctificatum, non tantum in vtero, & primo instanti suæ conceptionis, sed iure vnionis Hypostaticæ: ita vt nullum potuerit peccatum contrahere, vel facere iuxta illud Lucæ 1. quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei. Suppositoque quod Virgo in eodem instanti suæ conceptionis fuit præseruata ab originali per infusionem gratiæ: quia ita congruebat eius dignitati maternali, iuxta illud Psalmi 45. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.*

His inquam suppositis ratio congruentię sic nectitur. Sanctitates aliorum hominum ordinantur ad Sanctitatem vnigeniti, & naturalis Filij Dei, sicut ad exemplar, & finem, iuxta

illud

illud Pauli, ad Roman. 8. & prędestinauit conformes fieri imaginis filij sui; sed inter cęteros Sanctos qui clarius prophetarunt conceptionem Filij Dei, fuit Ieremias, dicens, cap. 31. quia creauit Deus nouum super terram, fęmina circumdabit virum; ergo conueniens fuit illum peculiari modo esse Sanctificatum &c. Prosequitur, & subdit. *Aliter autẽ Sanctus Thomas hanc congruentiam desumit, nempe in ordinem, ad Passionem & sanguinem Christi, per quem est tota nostra iustificatio. Vnde quia Ieremias verbis, mysterijs, & suis proprijs doloribus, & passionibus specialiter Christi Passionem præfigurauit, specialem sanctificationem. Adeptus est, scilicet intra vterum sicut, & Baptista.* Hæc Tena in Isagoge.

Hinc attexo rationem congruentię, erga B. Franciscum, cuius eximia Sanctitas ad Filij Dei Crucifixi Iesu ordinatur. Sinamus Apostolos quia ipsi habuerunt primitias spiritus, ijs demptis, nullus alter Francisco similis in imitatione, & similitudine Crucifixi. Non est hyperbolica hæc loquutio, sed vera & propria, à Pontificibus, & Doctoribus affirmata, vt hic facile possem plusquam 30. eorum dicta inserere. Quis alter natus

in præsepio natus similis Christo? Quis ab Angelo susceptus in vlnas, & Thau signatus in humero? Quis inquam per Crucis mysteria, vt Franciscus incessit? Quis quæso portentosa illa, clauis ex neruo infixis, quinque foramina per omne biennium pertulit cruore fluentia? Non est igitur, stante congruentia Ieremiæ, inconueniens vllum piè ac deuotè credere, specialem Sanctificationem adeptum fuisse; Quia quod est fini propinquius, & similius, magis participat effectus illius. Quis alter Crucifixo Iesu similis vt Franciscus? Quis alter in paupertate, & humilitate Christo propinquior similior, & conformior?

Congruentia ex diuo Damasceno.

Diuus Pater Ioannes Damascenus, orat. de laud. Virginis. *Certissimum est*, inquit, *quod Deus quum aliquem sanctitate futurum decernit insignem, valde à longe disponit, & præparat eius principium, vt patet in Sampsone, & Ioanne Baptista*. Snnctitate insignis, imò ex insignioribus est Franciscus, & ratione stigmatum nullius vt ille. Certum

est

est igitur, ne dicam certissimum, iuxta Damasceni sententiam, valde à longe præparatum atque dispositum fuisse à Domino eius Sanctitatis principium. Et hoc per congruentissimam rationem, ad effectus mirabiles, quos in eo nascente, viuente, & moriente bonitas infinita monstrauit.

Opinio ista fundatur in dictis virorum Doctissimorum.

NOn est chimærica hæc opinio, nec in arena fundata; habet in rationibus, & congruentijs, hominumque auctoritate atque doctrina insignium dictis robur, & fundamentum sufficiens ad sustentationem piæ ipsius opinionis. Est antiqua, non noua; cum veluti rosa in planta, in B. Bonauenturæ verbis hærebat. *Diuinis charismatibus præuentus.* Non dicit charismate, & illis. *Rem materni nominis nō perdidit*. Vel reliquit, quod est *gratia*. In renibus verborum Doctoris Seraphicis arcanum hoc erat, Biga salutis antiquissimus Auctor excussit à renibus, & protulit extra. Quin & conformitatum antiquissimus Doctor Theologus, rosam istam

cono

cono ſubcluſam virenti amictulo expoſuit auris, dum ait. *Ipſe eſt enim in gloria, & ad gloriam Dei Patris, à quo in mundum deſtinatus eſt ipſe Franciſcus; quia ad quæ miſſus eſt efficaciter expleuit. Secundò Filij Dei, qui ipſum ſibi per omnia aſſimilauit. Tertiò Spiritus Sanctus, qui ipſum Sanctificauit.* Aſſimilauit eum ſibi Filius Dei in ortu in luminoſa nocte, vt hiſtorię recitant, in Angelorum gaudio & lætitia, vt dictum eſt, & in apparitione Angelica ſuper natum puerum, & tandem in præſepij reclinatione, alijſq; circumſtantijs vitæ, & mortis. Ergo ad dignius huiuſmodi ſimilitudinaria verſanda myſteria Spiritus Sanctus eum Sanctificauit in vtero; ne peccatum aliquo modo eſſet obex, hiſce myſterijs ſignificandis. Omne ſimile petit ſibi ſimile; idcirco Chriſtus ab vtero (à primo inſtanti) Sanctus, Franciſcum tam ſibi ſimilem non ab inſtanti, ſed ab vtero Sanctum appetijt, vt Sanctus ortum ſuum Sanctum in ſtabulo repræſentaret. Vnde ly *Sanctificauit.* In verbis adductis pro famoſiori accipio.

Idem Doctor Theologus in eiſdem conformitatibus lib. 1. expreſsè tradit in gratia

na-

natum B. Franciſcum. Auctor autem hic antiquiſſimus eſt, floruit enim ann. 1400. Verba eius ſunt hæc. *Quamuis B. Franciſcus non fuerit in principio ortus, & natiuitatis ſuæ in mundo, gratia & virtutibus plenus, ſed in ſecundo ortu Religionis quãdo mundo apparuit paupertatis profeſſor &c.* Ecce his verbis, Sanctum fuiſſe in ortu temporali non negat dum ab ipſo gratiam non excludit, ſed quod ait eſt, non habuiſſe tantam gratiam quando natus eſt, quantam poſtea habuit in Religione, nec tantam virtutum copiam. Nec eſt dicendum, quòd Doctor iſte, ortum hũc ſumpſerit pro baptiſmo, in quo Deo naſcitur baptizatus; quandoquidem clarè, & expreſsè loquitur de natiuitate temporali ex vtero dicens, *in principio natiuitatis, & ortus ſui in mundo.* Et ſic patet, opinionem iſtam non eſſe nouam, ſed ab annis propè 200. antiquam. Conſule Floretum Aluerninum, ibi de Sanctificatione.

Vbertinus a Caſale, à thecula roſam quaſi exerere voluit, quum in Arbore vitæ Crucifixi Ieſu, lib. 5. c. 3. Franciſcum Chriſti myſteria, actuſq; mirificos præſetuliſſe naſcẽrẽ, & ab ortu ſuo de virtute in virtutem aſcendiſſe.

disse: *Ipse ab ortu Solis ascendit, quia ortus per actus vitę Christi, de virtute in virtutem ascendens, Sãctam Christi vitę conuersationem configurauit.* Videto quæso mi Pie, quomodo potuit nasci per actus vitæ Christi, & quomodo natus inceperit ascendere de virtute in virtutem, nisi à gratia principium duxerit ascendendi? Vbertinus Auctor antiquus est Ordinis nostri prędirus celebritate, qui (vt suo loco videbimus) ab infantia Franciscum virtutis, & iustitiæ semitam tenuisse affirmat.

Biga salutis retrocitatus: *opinari possumus,* asserit *B. Franciscum in vtero Sanctificatum; quia sic amplexabatur ab Angelo ante baptismum.* Et hic antiquissimus liber est, nunquam expunctus, nunquam censuræ subactus: iam ferè à 100. annis hucusque decurrens.

Prædictis rationibus, congruentiis, & elogiis niti aliqui docti, piique recentiores, delectati sunt.

RecentioRes, qui erga Seraphicum nostrum Ducem affectus æstuant flammis,

mis, non ita se gerunt in opinanda huiusce-modi prærogatiua in ipso, vt sine fulcro, & base se teneant; vt super tremebundum atque instabile fundamentum extruxisse taxentur. Docti inquam, imò, & Doctores Theologi atque Magistri sunt, qui probabile censent, B. Franciscum anticipatam iustificationis gratiam habuisse. Perpendentes enim, librantes, & ponderantes finem ad quem Deus Optimus Maximus destinauit hunc Virum, attendentes, & considerantes alias gratias & fauores singularissimos ipsi à summa benignitate, & bonitate collatos; Demum, quæ de ipso extant elogia, Serenis oculis, pioque animo contemplantes; Franciscum, ectypam Crucifixi mirabilem; Christi effigiem, Crucis Heroa magnalem, Vexilli ferum Summi Regis, monimentum inclytum Redemptionis; Franciscum Dei viui signacula præferentem, signatum ab ipsomet viuo Deo signis Redemptionis nostræ, sanctificationis in vtero pietate freti Catholica, prosequuntur, & concomitantur honore.

Hoc honore prosequutus est illum Docto-

ctor Theologus, Seruus Dei, Pandolphus de Ricasolis Baronibus, Canonicus Ecclesiæ Florentinę, qui hæc propria manu subscripsit ad prælum vt extat in Chronica Montis Aluernæ, sub finem. *Francesco prima Santificato, che nato*. Hic Vir ex Decumanis Italiæ litteratura censetur, linguæ Sanctæ optimè callens, & Serui Dei vbique celebritate conspicuus.

Hoc Doctor Theologus, Carolus Altouito Canonicus Florentinus, vna ex firmioribus illius Ecclesiæ basibus, agricola Sinodalis, & latero magnus Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Florentini, Vir bonus, & prudens, scientia clarus, qui in fide, quam exhibet sua manu subscripta, pręloque addicta; vt patet in libro Stigmatum, ait huiusmodi. *Mà particolarmente nel Patriarcha S. Francesco, del quale* (vide quali verborum maiestate se gerit) *come accenna l' Autore di questo libro, e pia consideratione il credere, che prima di nascere fusse Santificato, e confermato in gratia. Conciosia, che sua Diuina Maestà habbia operato in lui altri effetti segnalatissimi*. Verba melliflua, os nectareum,

cor

cor deuotum, mens pia, peritia ſolida, beneuolus animus, Doctoris benignitas, & præſtantia.

Hoc honore Doctiſſimus Pater Gregorius à Bella Sacræ Theologię ſupra decennium Lector Generalis, & Prædicator, proſequutus eſt illum in publicis concluſionibus habitis in Comitijs; defendens probabilem eſſe opinionem hanc dicens. *Beatum Franciſcum in vtero Sanctificatum piè tuemur, & tanquam probabile opinamur.* Sic ille mirificè, & ſatis eruditè progreditur, in ipſis Theſibus de B. Franciſco, in gratia quoque confirmatum, eadem pietate probabiliter aſſerens.

Hoc honore proſequutus eſt eruditiſſimus Theologus Caſtellina, publicus, & actualis Lector Generalis, nec non & Thuſciæ Miniſter Prouincialis, & Prædicator, qui & in Cathedris, ſuggeſtis, & libris ſua manu ſubſcriptis, Beatum Franciſcum (qui eum in ſæculo ab inſanabili morbo curauit, eiuſceque miraculi ergo, ingreſſus eſt Ordinem Fratrum Minorum,) in matris vtero iuſtificatum piè defendit; &

coram

coram quidam magno Ecclesiæ Prælato, annis elapsis, de probabilitate opinionis huiusce, contra quendam litteratum ingentē, me præsente strenuissimè decertauit, osque obturauit hostile. Hic publicis conclusionibus comitialibus prælo datis, vt patet in ipsis, habet hæc. *Te Francisce ab vtero Sanctum piè tenemus.* In Floreto Aluernino hęc. *Ad Dei Optimi Maximi gloriam, eiusque Crucigeri famuli Beati Francisci honorem: quem optimè differit ipse Auctor, fuisse in vtero Sanctificatum: talisque pia penes me versatur opinio: talemque publicum agens Ecclesiasten, prædicaui.*

Hoc honore prosequutus est eum Daniel de Retibus, Professor Theologus, & Prædicator egregius in libro de Sacris Stigmatibus S. Francisci, quem ipse conscripsit, vbi dicit ab vtero fuisse Sanctum, & inde ascendisse de gratia in gratiam: vt ipsemet repetit in Floreto Aluernino dicens. *Eandem fuisse mentem meam in libro illo, assero piè; fuisse B. Franciscum in vtero Sanctificatum, & in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Florentiæ, in octaua S. Ioannis Baptistæ, retro ab hinc non mul-*

multis elapsis annis, publicam habui concionem; fuisse ipsum Seraphicum Patriarcham in vtero Sanctificatum: quam quidem de ipso egregiam laudem populi mihi fuit pietas aggratulata. En 7. testibus probabilitas hæc subsistit: præter adductas congruentias, efficacissimasque rationes; quarum minima sufficit, vt huic sic deuotæ, piæque opinioni stabile construat fulcimentum.

Obiectiones contrariorum aduersus huiusmodi pietatem.

Obiectio I.

D*Ifficile creditu; tam singulare priuilegium Sanctificationis in vtero, quod velut celeberrimum de solis Ioanne, & Hieremia in Ecclesia prædicatur, Francisco fuisse concessum:* quòd *de nullo, quantumlibet Sancto, & claro miraculis absque peculiari Dei reuelatione ab Ecclesia approbata affirmari non potest. Vnde fit, vt Beatus Bernardus in quodam sermone de excellentia, & sanctitate Præcursoris dixerit; neminem vnquam Mortalium Sanctificatum legimus intra materna viscera, præter Hieremiam, & Ioannem Baptistam.*

nullam alterius Sancti faciens mentionem; quandoquidem posset cum aliquo fundamento, & sacrorum testimonio affirmare de alijs, vt de Iacob, Sansone &c.

Solutio.

VErum est totum, & B. Bernardum minimè sic sentem inficior. Sed quid inde? Non potest affirmari in vtero Sanctificatio de Francisco, sicut de Ioanne, & Ieremia? Concedo: quia de ipsis habetur de fide Catholica, de Francisco autem de pietate fidei est, vt de alijs, quos Christiana pietas habet. Pietas autem hæc neminem cogit nec abstringit credenda; vt B. Ioannis Sanctificatio, quæ est de fide. Dicere autem quòd absque reuelatione per Ecclesiam approbata affirmari non possit, Franciscum fuisse in vtero Sanctificatum, est verum: opinari autem non posse, falsum est. Hinc fit, vt quia opinionem hanc piam, rationibus, & congruentijs, nec non, & virorum eruditione, ac pietate pollentium dictis extructam, vti piam atque probabilem prosequor; neque hæresis erroris,

aut

aut temeritatis nota, talis ratione opinionis inurar.

Obiectio. 2.

B*Onauentura Doctor Seraphicus, scripsit egregiè de omnibus excellentijs B. Francisci, de Sanctificatione autem anticipata in vtero nihil egit, nec meminit in tota sua legenda: imò de ipso peccata commemorat. Quòd si vera foret huiusmodi prærogatiua, reuelata fuisset, ipsi Doctori, sicut legitur reuelatum illi fuisse B. Franciscum esse illum Angeli sexti signaculi Apocal. 7.*

Solutio.

RVffinus B. Ambrosij opera denigrare contendens, aliam non inuenit rationem, quàm Diuum Hieronymum inter scriptores, & viros illustres, Ambrosium non locasse; coęui siquidem ipsi fuerunt. *Non meminit*, ait Ruffinus, *Ambrosium; ideo quia de illius scriptis non bene sensit.* Ita habes in Scolijs, S. Hieronymi, de scriptoribus Ecclesiasticis. Quod quàm sit falsum proba-

tione non indiget. Beatus Bonauentura non meminit huius rei: transeat (eius enim verba fæta videntur hac prole; scilicet, *diuinis charismatibus prauentus est*.) ergo non piè credenda? Nego: non enim oportuit conscium fieri Sanctum Bonauenturam pietatis huiusce: Dei enim amicus, non autem consiliarius erat Sanctus Bonauentura. Nec iurauit vnquam Dominus nihil se operaturum, quin Bonauenturæ reuelaret ac panderet: Omne de B. Francisco scibile, vel scriptibile, Doctor Seraphicus non sciuit neque scripsit. Recepit stigmata B. Franciscus die exaltationis S. Crucis. Ita Ecclesia recitat in officio S. Franc. 4. Octobris: ita conformitates, & historię plures ordinis attestantur: ita fuit reuelatum diuinitus, vt patet in ipsis conformitatibus, & Chronicis. Et tamen S. Bonauentura rem hanc attigisse non legitur, imò in legenda maiori, & in officio quod ipse composuit, ait *circa festum exaltationis S. Crucis*, & non dicit festo die. Præterea modum ac circumstantias stigmatizationis ipse non calluit: ait enim sic quodam mane circa festum exaltationis S. Crucis, vidit quasi speciem vnius Seraphim &c.

Sub-

Subditque: disparens itaque visio, post arcanum, ac familiare colloquium, mentem ipsius Seraphico interius inflammauit ardore, carnem verò, Crucifixo conformi exterius insigniuit effigie. Et prosequitur, quin rei circumstantias, qua fuerunt serie, tangat. Ast ipsas, en socij S. Francisci exaratas in speculo, antiquissimo codice, quem fratres Fabianus (teste Philippo Boscherio in Antiquitatibus Franciscanis) & Hugellinus Diuo Francisco coęui ediderunt, nobis reliquerunt, vt extant in *Floreto Aluernino*; quas & hic insero ab ipso speculo fidelissimè sumptas.

Modus stigmatizationis S. Francisci, prout legitur in vita sociorum Sancti Francisci.

CVm B. Franciscus in latere montis Alnernæ quadragesimam Beati Michaelis Archangeli ieiunaret: quodam mane dum oraret ibi, miram dulcedinem diuinam abundantius solito cœpit sentire; & vidit de cœlorum sublimitate Seraph. ignitas alas, & splendidas habentem, & mons cernitur inflammari. Ap-

propinquante illo vidit inter alas Iesum Christum Crucifixum, & vehementer obstupuit: mœroremque compassionis super Christo passo, & gaudium super eius gratioso aspectu mens eius incurrit, vt dicitur in legenda. Et cum arcana verba sibi reuelasset, tandem dixit. Para te Francisce faciam in te mirabilia. Et ille. Tu scis Domine, quia paratus sum ad omnia tua mandata. Tunc extendit manum suam dextram super Beati Francisci manum dexteram ponendo: ad cuius contactum Franciscus vulneratus in manu, dolorosa voce exclamauit. O Domine Iesu, & cecidit in terram: & sic attonitus ac stupens aspiciebat Christum: cui stupenti ait Christus. Surge Francisce, extende aliam manum, & fecit consimili modo in sinistra manu eius, & iterato ille cecidit in terram exclamans. Ad quem Deus iterum. Surge Francisce para te. At ille ait: Domine mi paratus sum. Et Dominus posuit pedes suos super pedes Francisci, & ille plagatus repente exclamauit, & cecidit in terram. Tandem dixit iterum Dominus. Francisce surge, vt perficiam in te quæ disposui mirabilia. Franciscus autem ait. Domine quis poterit substinere tales dolores? Cui Dominus. Quid fecis-

fecisses tunc si verbera, & spineę coronæ, punitiones, alapas, sputa, & alias pœnas, quas ego pro hominibus suscepi, substinuisses? Surgens ergo Franciscus dixit quid iubes? Paratus sum: At Iesus amplexans illum, iunxit latus lateri Beati Francisci, & statim impressit plagam lateralem. Tunc Franciscus exclamans, o pie Iesu; cecidit in terram quasi semimortuus: & Christus interim disparuit, Beatus autem Franciscus iacuit in terra vsque ad horam nouam. Tunc frater Leo superueniens, & videns prostratum leuauit eum &c.

38 Non omnia erant B. Bonauenturæ reseruata dicenda. Ponderans Doctissimus Zamorensis in Monarchia mystica in B. Francisco ab Optimo Maximo patrata mysteria; fatur hoc modo. *Francisci magnalia, pro suo modulo sunt ita mirifica vt nemo hucusque attigerit. Multum dixit Diuus Bonauenturæ de illo multumque innumeri Auctores scripserunt, & multum de ipso quotidie scribitur. Ego tamen iudico quòd eius mysteria sunt signata. Hinc eleganter de ipso canitur; signasti Domine seruum tuum Franciscum; quia fons signatus esse videtur: ex quo non omnes bibunt, & hauriunt nisi quantum illis haurire permitti-*

tur. Noſcant igitur, atque diſcant neſcientes Franciſci myſteria arcanis eſſe conſperſa mirificis; nec D. Bonauenturam omnia ſcribere potuiſſe, niſi quæ, & quomodo potuit, inuenire. Scripſit ne ipſe Doctor, in ſtabulo editum B. Franciſcum? Certo non & tamen natum ad præſepia ſcimus, extatque huiuſmodi rei monimentum in Ciuitate Aſſiſij, ſacellum videlicet, cum peruetuſto ibi depicto litteriſque grauato myſterio, talis ortus. Scripſit ne vllibi Doctor Seraphicus confirmatum fuiſſe in gratia D. Franciſcum in receptione ſtigmatum? Reuera non: & tamen B. Bernardinus Senenſis, cum alijs aſſerit, vt patebit. Dixit ne Doctor; B. Franciſcum reſurrecturum, vt piè creditur, antè finale iudicium? Non profectò, & tamen Vbertinus, Corradus, cum alijs pluribus tum antiquis tum etiam recentioribus, probabile tenent. Antiquitates Ordinis centuria 3. cap. 35. ſpeculum S. Franciſci videas, reuelationem de hac re, factam à B. Franciſco ſuo confeſſori fratri Leoni; cui poſt mortem glorioſus apparuit. Non eſt hęc res noua in Religione noſtra, ſed priſca, & trita: non enim Deus habet alligatas manus ad ea

quę

quæ velit. Dixit ne tandem S. Bonauentura, quòd B. Franciſcus à ſua vocatione meruit ſemper in actibus omnibus ſuis humanis, & liberis, gratiæ augmentum? Non equidem, & tamen Suarez, Doctor egregius; ibi, de gratia, aſſerit; vt ſuo loco dicemus. Omitto alia ne ſim tædio.

Obiectio. 3.

S. Bonauentura in legenda, & in officio B. Franciſci, ait, ipſum fuiße vanitatibus deditum, idemque ſcribit Bartholomæus Piſanus in conformitatibus: non ergo B. Franc. Sanctificatus in vtero dici poteſt.

Solutio.

NVnquam S. Bonauentura, nec in officio nec in legenda minimum verbum fecit, de huiuſmodi vanitate Franciſci, nec ab eius ore vnquam prodijt verbum, quòd B. Franc. grauem aliquem mortalemque reatum commiſerit. Quod ait, eſt: nutritum fuiſſe inter vanos hominum iuuenes. Tamen Doctor in ipſis verbis aduertit; Frã-

ciſcum

ciſcum glorioſe atque impune huiuſmodi vanitatum pericula tranſuadaſſe. Piſanus verò ibi in cap. *Franciſcus moleſtatur*, expreſsè dicit in calce capitis, nunquam B. Franciſcum ſuccubuiſſe dæmonis in conflictu: nec victum ab eo nec ſuperatum. Nunquam Seraphicus Patriarcha, à Doctorum noſtri Ordinis aliquo noxis lethiferis implicatur. Imò ab omnium Anteſignano, Doct. Seraphico, diuinam manutenentiam, & diuini præſidij aſſiſtentiam aſſeritur habuiſſe, ne criminum vnquam illideret ſcopulis in hoc mari magno, ſpatioſoque manibus, vbi reptilia quorum non eſt numerus; vbi Scyllarum, latratuſq; charibdium, vbi Syrtium deniq; metum incutiunt ac terrorem. *Doctor Franc. Suarez, confirmans D. Bernardi ſententiam, ait. Huiuſmodi priuilegium Sanctificationis ad alios extendere præter Ioãnem, & Ieremiam (vt alij ad alios extendunt) abſque probabilitate, & fundamento, dicitur.*

So-

Solutio.

DOctor Suarez eandem sentẽtiam cum Diuo Bernardo tenens, affirmat: de nullo alio sic expresſè,& clarè in sacris litteris,vt de Ioanne, & Ieremia deprehendi:additq; quod abſque fundamento, & probabilitate aliqui ex eiſdem sacris litteris affirmant, Iacob, Sampſonem, & Paulum fuiſſe hoc priuilegio Sanctificationis in vtero decoratos. Hic eſt Suarij verborum ſenſus; hic eſt etiam Diui Bernardi. Sed quid oro exin? Nunquid nos in sacro haberi volumine, aut ex eo deduci contendimus, Beatum Franciſcum in vtero Sanctificatum? Abſit hoc à pijs mentibus ac deuotis, erga ſigniferum Crucifixi. Abſit à fratribus id Minoribus, tam verè filijs Orthodoxæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ. Piè, deuoteq; eorum plurimi Patriarcham Seraphicum tali proſequuntur honore.

Obiectio 5.

ÆGrè Suarez concedit Ieremiam in vtero iuſtificatum, id namque ſonat verbum

bum illud, fere, quo vtitur: non obstante tam claro, & expresso almi voluminis testimonio. Antequam exires de vulua Sanctificaui te. Ierem. 1. Et Abulensis, de Ieremię Sanctificatione loquens, Iudic. 18. ait. Esse solum opinionem, aut problema.

Solutio.

PRæfero Thomam Sanctum, in obiectione relato: qui 3. par. q. 27. art. 2. certissime tenet Ieremiam, & Ioannem in vtero iustificatos: vt ab ipsis sumat efficax argumentum ad probandam Deiparæ Virginis in Annæ visceribus Sanctificationem, quod est tale. *Priuilegium gratiæ, & Sanctitatis ad maiorem puritatem, & gratiæ excellentiam pertinens, quod quibusdam hominum concessum est, non est denegatum Beatissimæ Virgini; sed sanctificari in vtero, Ieremiæ, & Ioanni Baptistę concessum est, vt patet Ieremiæ 1. & Luc. 1. Ergo &c.* Idem affirmant S. Bonauentura, in 3. dist. art. 2. Durandus q. 3. Bernardus, epist. 174. Et tandem origenes Hom. in Ierem. asserit; sanctificationem illam datam fuisse Ieremiæ in vtero, quæ data

ta est Abrahæ, quando Deo credidit. Non opus est igitur loca scripturæ adduci: de fide siquidem nunquam teneri contendimus; sed de pietate fidei, quæ Piorum insidet animis, quin adstringat.

Obiectio. 6.

AVgustinus Doctor Ecclesiæ, cum aliqua dubitatione loqui videtur, etiam de B. Ioannis sanctificatione: patet hoc in epist. 59. ad Dardanum. Agens enim de sanctificatione ipsius ac Ieremiæ, subiungit. Non esse intelligendas horum sanctificationes, quasi acceperint in vtero gratiam; per quam homines nascuntur in Christo, & efficiuntur templum Dei. Si in viridi ligno fit hoc: quid fiet in arido?

Solutio.

DIuus Augustinus in epist. 57. q. 2. cum dubitatione non loquitur de sanctificatione Ioannis, & Ieremiæ, sed certo, & affirmatiuè. *Quamlibet*, inquit, *sententiam de hominibus habeamus adhuc intra materna viscera constitutis. Verum existimemus eos*

posse nunc donari aliquo sanctificationis modo, vel propter Ioannem, qui nondum editus in lucem, tamen exultauit in gaudio: Quod tamen nisi Spiritussancti operatione fieri potuisse quis credat? Vel propter Ieremiam, cui Dominus dixit: priusquam exires de vulua sāctificaui te &c. Prosequitur idem S. Augustinus ibidem. *Tamen illa sanctificatio qua efficimur singula templa Dei, non est nisi renatorum, dicente Christo Domino Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* In ijs verbis aliam S. Doctor proponit quæstionem, scilicet: si quis nunc in lege gratiæ sanctificaretur in vtero matris, vtrum teneretur natus ad susceptionem baptismi? Et respondet affirmatiuè: quia omnibus sine exceptione datum est præceptum de baptismo dicente Domino. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vnde Augustini loquutio animaduertenda est, cum ait sanctificationes Ieremię, & Ioannis in vtero, non esse intelligendas, quasi acceperint per illas gratiam, per quam homines renascuntur in Christo, & efficiuntur singula templa Dei. Ad cuius intelligentiam est notandum,

quod

quod aliud est nasci in Christo, & aliud renasci in Christo. Nasci in Christo potest quoque dici sanctificari in vtero, & renasci baptizari. Christus enim baptizari vocauit renasci, dicens. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Discrimen igitur inest; nasci & renasci in Christo, baptizarique, & sanctificari. Vult igitur Augustinus ostendere differentiam gratiarum, quæ existunt inter sanctificationem in vtero, & baptismum. Ipse namque propter exhibita merita Christi, aperit cœlum. Non igitur fauet Augustinus obiectis. Sanctificatio siquidem in vtero characterem non imprimit vt Baptismus, per quem, scilicet baptismum Christo renascitur homo.

Obiectio. 7.

ET S. Hieronymus à B. Augustino, minimè dissentire videtur: ait enim in eo sensu intelligendas esse sanctificationes illas: in quo Paulus ad Galatas de seipso loquens dicit: quũ autem placuit ei qui me segregauit ab vtero matris meæ. Non quòd gratiam, & sanctificationem acceperit Paulus, vt aliqui ex hoc te-

stimo-

stimonio existimant; sed quod ab vtero sit destinatus, vt esset Apostolus Christi. Et in eodem sensu interpretatur Theodoretus illud Ieremię, cap. 1. Sanctificaui te, idest elegi te vt esses Sanctus, & in eodem sensu Cardinalis Toletus super cap. 1. Lucæ.

Solutio.

Hieronymus cap. 1. Ieremiæ sic loquitur. *Ioannes autem Baptista sanctificatur in vtero, & Spiritum sanctum accepit, & mouetur in vulua, & per os matris loquitur*; Non igitur Hieron. cum dubitatione loquitur de iustificato in vtero Præcursore: neq; etiã de Ierem. accipe illum. *Non quòd ante conceptionem, vt hæresis suspicatur, fuerit Ieremias; sed quòd præsciret eum futurum Dominus, cui nec dum facta, iam facta sunt, secundum illud Rom. 4. Qui vocat ea, quę non erant, quasi ea quæ sunt; quod autem sanctificatur in vtero iuxta illud Apostoli ad Galat. 1. Debemus accipere; dum ait Paulus, cum autem placuit ei, qui me segregauit ab vtero matris meę.* Hęc ille, in verba Ieremiæ 1. *Priusquam noui te, &c.* Opinatus est igitur almus

almus Doctor, Paulum in vtero Sanctificatum, ſicut Ieremias, nec dubitauit, vt obiectum eſt. Toletus verò aduerſe non ſentit de Ioannis in vtero priuilegio; Eccere fatur: *Non ergo quia Ioannes non erat ab vtero matris egreſſus, ob id non potuit gratiam Spiritus ſancti regenerationis accipere, cum iam genitus eſſet carnali generatione, & peccatum iam contraxiſſet ex Adam. Ratio etiam, vltra hæc omnia, hoc ipſum comprobat. Non enim inficiandum eſt, tam miram Chriſti, & matris viſitationem, attuliſſe Ioanni medicinam peccati.* Hæc Toletus, in Luc. cap. 2. Athanaſius ſerm. 4. contra Arrianos: Cyprianus epiſt. 73. Ambroſius, in cap. 1. Luc. Gregorius lib. 3. Moral. Bernardus, ſerm. de excell. Ioan. Bapt. Ieremiæ, & Ioannis affirmant, in vtero Sanctificamen. Verum ſi de Pauli iuſtificatione conſtrepitur; conſulat ſi poteſt quis, ſi eius eſt conſiliarius, Optimum Maximum; petat ab eo, cur ſanctificare voluit Paulum, & non confirmare in gratia: quandoquidem poſtea grauiter, in Eccleſiam perſequendo, deliquit? Petat, ſi fortè is ei reſpondere dignabitur. Ego ſiqui-

dem Dei iudicia, & arcana ſcrutari non audeo neque poſſum.

Obiectio 8.

DAntes Ieremiam, & Ioannem, alium dare cauemus. De alio ſiquidem non legitur fuiſſe in vtero ſanctificatum: ergo nec de B. Franciſco dicendum; dum de nullo alio dicitur, neque legitur in literis ſacris, & humanis.

Solutio.

IN ſacris literis, eſt verum; in humanis autem de alio nemine legi, falſum eſt. Patet enim, Doctores celebreſque ſcriptores, priuilegium hoc alijs, tum veteris, cum etiam noui teſtamenti, Sanctis adſcribere. Non autem de ipſis credere, vt de Ioanne tenemur; eius enim de fide illorum verò de fidei pietate, ſanctificationes habemus. Accedunt ergo Sancti qui piè tenentur in vtero Sanctificati.

San-

Sancti qui piè creduntur in vtero Sanctificati. Iacob Patriarcha.

PAtriarcham Iacob in Matris viſceribus iuſtificatum aſſerunt magni viri. Non abnuit Auguſtinus in epiſt. 57. Petrus commextor non dubitat, in Geneſ. 66. fatus. *Creditur in vtero ſanctificatus fuiſſe Iacob, & in colliſione infantium pręfiguratum, quòd non eſſet conſenſus Chriſti ad Belial*. Dionyſius Carthuſianus, ſuper illa verba. *Ero cuſtos tuus*, Gen. 28. *Magna* inquit; *promiſſio, ex qua ſequi quòd Dominus in omnibus præſeruauit Iacob à culpa mortali: forſitan & ante, maximè cum credatur Sanctificatus in vtero*. Diuus Ambroſius, lib. 4. de fide, cap. 4. *Negent Iacob Sanctificatum fuiſſe priuſquam naſceretur, qui fratrem ſupplantauit in materni adhuc vteri latens arcano*. Franciſcus ſtrenuiſſimus palæſtrita non cum Angelo palæſtram, ſed in Monte Aluerna cum Angelorum Rege amoris luctam exercuit. Iacob ille tactus femore clauſus euaſit à lucta; Frãciſcus tactus ab ipſomet Chriſto, vt viſum eſt, adaptatiſq; manibus ſuis ac pedibus, nec non & latere volis Ieſu, plantis eius ac late-

ri non modo claudus, verum etiam vulneratus abiuit. Cum clauis quatuor eadem eius ex carne (seu vt ait Alexand. 4. Pont. Max. in Bulla de materia nouæ creationis) mirificè fabrefactis. *Et ecce plusquam Iacob hic* : ratione scilicet stigmatum, magisque nobilis claudicationis, & gratia luctæ. Iacob in vtero supplātauit exosum Deo germanū: Franciscus adhuc In vtero (supposita veritate historię) quum infusa est eius corpusculo anima Vallem omnem Spoletanam lumine Deo tegente quam maximo, Hostiū turmas exterruit,& fugauit: collidit hoc modulo Esau non fratrem, sed hostem teterrimum. Vnde in hymno de ipso canitur. *collisor Hostis callidi*. Ecce plusquam Iacob hic: collisionis acerrimæ cum Sathana, grauitate.

Moyses.

Diuus Pater Ephren Syrus, orat. de trāsfigurat. Dom. Sanctificatum in aluo Moysen perhibet. *Sursum discipulos ducit in montem, & ostendit eis, non se esse Eliam, nec Moysen; sed Deum Elię, & qui Moysen Matris*

tris in vtero Sanctificauit. Et ecce Moysi valde similis; canitur enim, in eius officio.

Proles de cælo prodijt
Nouis vtens prodigijs,
Cælum cæcis aperuit,
Siccis mare vestigijs
Spoliatis Aegyptijs
Transit diues; sed pauperis
Nec rem, nec nomen perdidit
Factus felix pro miseris.

Et in Antiphona laudum Frãciscus Moysi refert ijs ministeria verbis.

Sancte Francisce propera veni Pater, accelera, ad populum qui premitur, & teritur sub onere; palea luto, latere: & sepulto Aegyptio sub Sabulo, nos libera.

Sampson.

EX illo iudic. 13. *Nazaræus* erit ex infantia sua, & ex matris vtero, multi colligunt Sansonem iustificatum in vtero. Benedictus Pererius probabile censet, in cap. 25. Genes. quandoquidem sacrum Domi-

no non censetur, originalis culpę fæditate prophanum. Suares de Gratia, in par. 3. Diui Thomæ, diffusè ac hæsitatiuè se gerit, affirmatiuam partem in dubitatione constituens. Nos verò, & Nazareum (idest consecratum) in vtero credimus; pieque asserimus iustificatum. Et ecce plusquam Sampson hic. Siquidem non corporales sed spirituales, quæ nobiliores sunt, & pretiosiores, adeptus; non figuratiuos, sed figuratos Philisteos, nempe dęmones, asini mandibulis expugnauit innumeros. Rudes enim sibi agglomerans pauperculos nudipedesque socios, Philistinis fulmineus ingruit à Subasio, armisque cęlestibus accinctus Aluernię, strenuissimè debellauit. Consecratus Sanson Domino consecratior Franciscus Sacrosancto baptismatis charactere antequam ipsum digito signatus Angelico, Thaù Sancto.

Isaias.

EX illo Isa. cap. 49. *formans me ex vtero seruum sibi.* Doctor illuminatus Maironius, serm. S. Ioan. Bapt. alijq; viri eximij, sanctificatum arbitrantur in vtero Esaiam.

Nosque

Nosque nequicquam inficiamur: quandoquidem seruū Dei esse diffitemur; qui peccati originalis vilitate peccati, Tyranni stygij adhuc imperio subditur. Et ecce Isaiæ vaticinio similis hic. *O iudex homo, mentium: in te signis radians, in te ventura nuntians, requieuit spiritus duplex Prophetarum*. Canit Ecclesia in eius officio. Quorum verborum gratia, plusquam Isaias adstruitur, non enim in Isaia requieuisse duplicem Prophetarum Spiritum, vt canit Ecclesia de Francisco, me vllibi legisse memini.

Si autem Esaias fuit Euangelicus annuntiator, & Passionis Iesu deplorator Magnificus in præconio. *Franciscus Euangelicum nec apicem, vel vnicum transgreditur nec iota*. Ait Ecclesia in eius officio. Passionem verò Christi, cordialius, atque altius deplorauit, ipseque manibus, pedibus, & latere Sauciatus; eiusce mirificentior extitit præco; & magis ad oculum index magnificus.

S. Ioseph Deiparæ Sponsus.

CAncellarius Parisiensis Ioannes Gerson, de coniugio Virginis 4. p. S. Ire-

næus S. Isidorus de prærog. S. Ioseph. Ioannes Echius de prædest. cent. 3. alijque celebritatis eximiæ recentiores ab vtero Sanctum prædicant almum Ioseph; Spiritus Sãcti Sponsę Virginis inclytæ floridum sponsum. Addit Gerson, referente Suarez, par. 3. de Gratia, lib. 9. cap. 8. cum tanto gratię priuilegio sanctificatum, vt fomitem in eo reprimeret, repletumq; fuisse gratia peccatum mortale quodlibet superante, & ad summum in materia castitatis, præsertim post matrimonium Virginis ob decentiam, nunquam venialiter sentit peccasse. Quod probabilissimum, Doctor ipse reputat, tum propter decentiam illam, cum pariter alias ob congruentias, à Gersone notatas.

Francisci ministerium, Ioseph venerabili ac venerando illi diuinæ personæ in carne tractandæ, non æquiparabo; absit ab Ecclesiæ filio, Fideique cultore Sacerrimæ Iesu Christi. Fateor tamen, alio Christum repræsentatiuè tulisse, modoque mirifico, passum Iesum in suo corpore gestasse biennio vulnerato; portatq; modo in Crypta illa, stans pedibus corpus Sanctum, ac si recens effluere t purpuratum, sanguine inquam sacro: quod

quod quædam, diuino munere videns quin quies persona Seraphica, (quam hinc ad breues tibi pulcherrimam filiam cernes Ecclesia redimitam) tinctum ex lateris cruore vulneris ad auras capitis reuocauit amictum.

Iacobus Apostolus.

IAcobum Domini fratrem nuncupatum, Egesippus, lib. 5. Comment. Eusebij Cęsariensis, cap. 23. S. Simeon Methaphrastes apud Truxillum: Petrus Episcopus Equilinus, in eius vita, & Cathalogo Sanctorum, & alij multi, Sanctum ab vtero declamarũt. Idque tum insignem ob iustitię celebritatẽ, puritatis candorem, & virtutum omnium claritatem; cum etiam ob eius ad Christum in facie similitudinẽ singularem. Et ecce similis alter Cristo; in vultu nimirũ, in statura in dispositione, & qualitate mẽbrorum, ore, sonoque etiam in tunicæ colore cinericio (vide pro ijs Floretum Aluerninum) & quod pondus, & quod opus, & pretium nobilius enitet, ratione stigmatum. Ipse namque Seraphicus Patriarcha, passi Iesu exemplum,

næus S. Isidorus de prærog. S. Ioseph. Ioannes Echius de prædest. cent. 3. alijque celebritatis eximiæ recentiores ab vtero Sanctum prædicant almum Ioseph; Spiritus Sãcti Sponsę Virginis inclytæ floridum sponsum. Addit Gerson, referente Suarez, par. 3. de Gratia, lib. 9. cap. 8. cum tanto gratię priuilegio sanctificatum, vt fomitem in eo reprimeret, repletumq; fuisse gratia peccatum mortale quodlibet superante, & ad summum in materia castitatis, præsertim post matrimonium Virginis ob decentiam, nunquam venialiter sentit peccasse. Quod probabilissimum, Doctor ipse reputat, tum propter decentiam illam, cum pariter alias ob congruentias, à Gersone notatas.

Francisci ministerium, Ioseph venerabili ac venerando illi diuinæ personæ in carne tractandæ, non æquiparabo; absit ab Ecclesiæ filio, Fideique cultore Sacerrimæ Iesu Christi. Fateor tamen, alio Christum repræsentatiuè tulisse, modoque mirifico, passum Iesum in suo corpore gestasse biennio vulnerato; portatq; modo in Crypta illa, stans pedibus corpus Sanctum, ac si recens effluere purpuratum, sanguine inquam sacro:

quod

quod quædam, diuino munere videns quinquies persona Seraphica, (quam hinc ad breues tibi pulcherrimam filiam cernes Ecclesia redimitam) tinctum ex lateris cruore vulneris ad auras capitis reuocauit amictum.

Iacobus Apostolus.

IAcobum Domini fratrem nuncupatum, Egesippus, lib. 5. Comment. Eusebij Cęsariensis, cap. 23. S. Simeon Methaphrastes apud Truxillum: Petrus Episcopus Equilinus, in eius vita, & Cathalogo Sanctorum, & alij multi, Sanctum ab vtero declamarũt. Idque tum insignem ob iustitię celebritatẽ, puritatis candorem, & virtutum omnium claritatem; cum etiam ob eius ad Christum in facie similitudinẽ singularem. Et ecce similis alter Cristo; in vultu nimirũ, in statura in dispositione, & qualitate mẽbrorum, ore, sonoque etiam in tunicæ colore cinericio (vide pro ijs Floretum Aluerninum) & quod pondus, & quod opus, & pretium nobilius enitet, ratione stigmatum. Ipse namque Seraphicus Patriarcha, passi Iesu exemplum,

plum, perfectiſſimè à ſuo exemplari deſumptum, viua effigies, & imago, à cunctis ferè Orthodoxæ clientulis veritatis adſtruitur. Nil igitur mirum vt de ipſo talia tantaque Fideliſmi alumni, Catholica prȩditi pietate, ab æſtuantium cordium deuotionis incendio, euaporent encomia, iactent magnifica. Mirum nihil, vt Sanctum ab vtero declamarint, quem tantis gratiæ donis, earum opifex, condonator Altiſſimus, munificentiſſimè cumulauit. Enim verò, vt Angelici Thomæ Aquinatis eloquia verſem (in 3. p. q. 27. art. 5. deprompta) quantò aliquid magis appropinquat principio, in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principij. Vnde Dionyſius, 4. cap. cȩleſtis Ierarchiæ; quod Angeli qui ſunt Deo propinquiores magis participant de bonitatibus eius, quàm homines: Chriſtus autem eſt principium gratiæ, ſecundum diuinitatem quidem auctoritatiuè, quoad humanitatem autem inſtrumentaliter. Vnde fit, quod B. Virgo præ cæteris, maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem adipiſci vti propinquiſſima ratione humanitatis, quam ex ea Deus humanatus accepit. His obſtantibus;

tibus; rationabiliter arguitur, Franciſcum Seraphicum, Crucifixo Ieſu præ cęteris Sanctis, ratione ſtigmatum, conformiorem; ab ipſomet Ieſu, ſpeciali gratiæ dono fuiſſe ditatum, inter tot alios vtriuſq; fæderis almos, quot omnigeni boni ſcatebra, & origo ſingularibus gratiæ prærogatiuis extulit, Bonus Deus.

Paulus Apoſtolus.

PAulus Doctor Gentium Sancti Spiritus organum, in vtero matris gratiam iuſtificantem accepiſſe. Diuus Hieronymus in cap. 1. Hiere. Diuus Irenæus lib. 5. referente diſertiſſimo Franc. Suar. in 3. p. S. Thomę Diuus Bernardus in epiſt. 174. S. Auguſtinus in epiſt. 57. Anaſtaſius Nicænus in q. ſt. Sacræ ſcripturæ, tom. 6. Biblioth. Sanct. q. 59. alijq; nonnulli, non modò non improbant, verũ & approbãt in vtero Sanctificatũ. Quamuis Eccleſiæ perſecutor extiterit, non ita grauiter peccauit, quia ignoranter, vt ex ijs multi aduertunt Patres, id egit. Paulus gloriatur *in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra.*

Pau-

Paulus, glorians ait: *ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*. Et ecce Paulo similis est Franciscus in gloria Crucis. Et ecce in portatione stigmatum in corpore suo, plusquam Paulus hic. Ergo nil mirum; si ad talium decus, & gloriam; Sanctificationis honore pie differitur insignitus.

S. Pater Dominicus.

CHerubinus Pater Dominicus, iustificationis accepit in vtero priuilegium; ita nonnulli asserunt pietate pollentes; refertq; Antoninus 3. par. sum. tit. 19. *Quantum ad secundum legimus Ieremiam sanctificatum, Ierem.* 1. *antequam exires de vulua sanctificaui te; hoc etiam credunt aliqui de Nicolao; quia natus stetit pedibus rectus. Et de Beato Dominico, quia iam in cunis lectum egrediens iacebat in terra: sed nullus cum tanta magnificentia &c.* Nec id nos inficiamur; vt in nostro Floreto diffudimus.

S. Ni-

S. Nicolaus Episcopus Miræ.

EPiscopus Miræ Nicolaus, ab vtero Sanctus fuit; perhibent multi, refertque vt vidimus Florentinus Antistes, Antoninus; nec dubitat Surius, dum in eius historia fatur hoc modo. *Infantem autem hunc, quis dubitet in ipso natiuitatis exordio, diuino fuisse Numine afflatum, & Sanctificatum; qui non prius viuere quam Deum venerari; non prius comedere quàm ieiunare cœperit.* Hæc ille.

S. Remigius Episcopus Rhemensis.

REmigius, præsul Rhemensis, à multis referente Dima Serpi, in Apodixi S. Georgij, Sanctificatus in vtero creditur. Lipomanus in eius vita sic loquitur. *Antequam nasceretur electus.* Surius in historia; *antequã nasceretur electus à Domino.* Simili fandi modo se gerit Heræus, in vita S. Remigij.

S. Asel-

S. Asella Virgo Romana.

HIeronymus ad Marcellam, referente Francisco Heræo in eius vita, scribens Sanctificatam in vtero tradit Asellam, dicẽs. *Prætermitto, quòd in matris vtero benedicitur, antequam nascatur; quod in phiala nitentis vitri, & omni speculo purioris, patri virgo traditur per quietem. Sit gratiæ omne quod ante laborem fuit: licet Deus præscius futurorum, & Ieremiam Sanctificet in vtero, & Ioannem &c.* Meminit Baronius in Martyr. die 6. Decembris, & alij.

Stephanus Præsbyter Constantinopolitanus.

MArcus Marulus lib. 4. de ieiunio, cap. 1. Stephanum Constantinopolitanũ præsbyterum, in vtero asserit iustificatum, his verbis. *Costui adunque da principio eletto, predestinato, e santificato nel ventre della madre.*

S. Georgius Episcopus Suellensis.

GEorgius Episcopus Suellensis in Sardinia, vt extat in Archiuio Calaritano, Auctore Paulo quodam pijssimo viro, & in Chronica Sanctorum Sardiniæ Auctore Dima Serpi, fuit annuntiatus ab Angelo, & Sãctificatus in vtero matris suæ. Erat hic filius mancipiorum coniugum; calaritanensis matronæ cuiusdam, Grçcæ de Surape nomine, seruituti vænalium (o Magnum Deum) ab Africa præda vilissima captiuitatis, Calarim tracti, Mahumetana secta postmodum abiurata, Fidem Christi suscepere, & filium hũc, postquam baptizati sunt, habuerunt, ab Angelo annuntiatum, & in vtero Sanctificatũ. Dehinc Episcopus Suellensis Ecclesię factus, stupenda prodigia fecit: Montem per medium oratione diuisit vt iteri foret euntibus; signo Crucis Draconem extinxit in cujus æternum rei monimentum herba nascitur cruenta, vbi Draco medius crepuit. Fontem scaturire fecit, percutiente cui insedebat equo Saxum relinquens in lapidem ferri lunulam, ex qua fons emanat; hisce oculis ego met vidi, alios ipse Sanctitatis indicia,

stu-

ſtupores effecit, quos, quia non teximus chronicam eius hiſtorijs omittimus celebratos. Mihi Dimas à conſcientijs erat ſecretis; Dimas inquam ſerpens prudens: Dimas intrepidus veritatis aſſertor: Dimas latro bonarum artium; Dimas Theologus, ingenij candidi vena fluens: Dimas Purgatorij animarum ſuffragator eximius: Dimas Serpi illuſtrator Sardiniæ, cuius mirabilium anteſignanus rerũ omniũ antiquitates ab interitu vindicauit: Dimas tandẽ *tunſionibus preſſuris expolitus lapis, ſuo coaptatus loco, per manum Artificis: diſpoſitus permanſurus ſacris ædificijs.* Ipſe ex illuſtribus Calaris Heroibus ortus florente Calari in cõuentu noſtro S. Marię de Ieſu, & miraculis ibi fulgẽte, Viro Dei Saluatore ab Orta, puer Dimas, benedictus extitit à viro Sancto, & ab ipſo litterarum ſtudijs adhibendus indictus patri; adoleſcẽs Valentiam ſtudiorum gratia miſſus habitũ S. Franciſci de Obſeruantia ſuſcepit, filiuſque Prouintiæ Valentiæ factus, Artes, & Theologiam glorioſiſſimè peragrauit: Prædicator egregius annis quamplurimis, in Terra Morelliæ concionum exercuit miniſterium; ac tandem in patriam veniens, in ea quie-

quieuit, Ordinis honorifica munia dignus adeptus Prouinciam illam ministrauit,& rexit; Hinc denique Commissarius Apostolicus,pro vita,& Miraculis viri Dei Saluatoris ab Orta, in Hispaniam subdelegatus, à Visitatoribus Apostolicis Regularium totius Regni Sardiniæ. Don Clemente à Neapoli, Ord. S. Benedicti, & Fratre Antonio Marcer Franciscano,die 12. Februarij, 1600.iniunctum sibi munus expleuit; & processui conficiendo de mirabilibus Serui Dei, toto pectore & deuotione incubuit. Ita vt ipsius Viri Dei corpus, quòd ego alijq; tunc pueri in Sacello S. Petri sine decentia collocatum manibus attrectabamus (atque vtinam qualis nunc mihi tunc forem nè faciliter exportaram; illumq; possiderem thesaurum) Dimæ opera, honorificentiori conditum loco fuerit, & venerationi Ciuitatis expositum. Edidit ipse tunc, & immortalitati consecrauit volumina illa aurea. *Tratado de Purgatorio contro Lutero*. Chronicam Sanctorum Sardiniæ, &c. Romam exin venit; vbi pro Georgij Sanctitate confligens, hostes profligauit acerrimos; & tandē defensor Georgij, fato concessit, & mihi sępius eius sepul-

chrum indictum; eiusque interitus exploratus. *Dies magna, & amara valde.*

Ruffinus Assisias Socius B. Francisci.

RVffinus ex Assisiatibus nobilioribus, B. Francisci Socius, & alumnus, in vtero extitit Sanctificatus. Hunc, Theologo conformitatum, speculo, chronica, atque Antiquitatibus Ordinis Auctore Boscherio, testibus canonizatum in cœlo, adhuc viuentem fuisse à Summo Pontifice Christo, reuelatum fuit B. Francisco: qui dicere semper solebat. *Non dubito vocare Ruffinum, Sanctum Ruffinum: quia reuelauit mihi Dominus, esse iam in cœlo canonizatum ab illo.* Fuisse autem in vtero Sãctificatum recitat speculum his verbis. *Quidam fuit Sanctificatus à Domino, & Canonizatus in cęlo, dum adhuc viueret in hoc mundo; quasi Sanctificatus in vtero; scilicet Frater Ruffinus, nobilis de Assisio, vir Christo fidelissimus. In antiquitatibus Frãciscanis.* Auctore Philippo Bosquiero Cæsari Montano; centuria 1. notab. 1. legitur etiã fuisse in vtero iustificatus Vir Dei Ruffinus: aiunt enim *in vtero Sanctificatus Fra-*

ter

ter Ruffinus. Aduertendum est tamen particulam illam *quasi*, non esse diminutiuam, sed appropriatiuam, & causatiuam; non assimilat, sed determinat, vt locis in plurimis, *quasi*, pro *vti* aduerbio, *veluti sicut*. Et in scriptura, ita accipitur millies, vt apud Ioan. 1. *gloriam quasi Vnigeniti à Patre*. Non diminuit gloriam filij, ne sit eadem ac Paterna, sed statuit esse metipsam. Et sic de cœteris. Enim verò antiquis mos erat sacri voluminis stylo adhærere loquelæ; Saleque verba conspergere scripturarum. Nec Fidei, Patribus, aut Conciliorum Sanctionibus obditur. canonizatio in cęlo viatoris vllius. Qui enim grassatorem Dimam Canonizauit in Cruce; Natanael in vita; *verus Israelita in quo dolus non est*: Magdalenam in domo Pharisæi, *vade in pace*, aliosque, *& alias, fides tua te saluum; saluam fecit*. Qui tandem adhuc viuentes Apostolos; *nomina vestra scripta sunt in cœlis*, & Ioannem: *inter natos mulierum non surrexit maior*, potuit Canonizare Ruffinum. Nec inde sequitur, quòd Canonizatus in cęlo, habeatur pro tali in Ecclesia militanti, nisi reuelatio canonica censeretur, ab ipsa Ecclesia; tunc non quia reuelatum, sed quia

Ecclesia reuelatum esse determinat. Hinc fit quòd licet Ruffinus, vt patet ex testimonio Sancti Francisci, in cœlo fuerit canonizatus, non ideo colendus à nobis, quin Ecclesia reuelationem approbet,& Sanctiat esse colendum. Magis enim credendum est Ecclesiæ Dei, quàm toti scripturæ: ideò siquidem scripturis obsequimur, quia Ecclesia docet esse scripturas à Deo: nec essent à Deo, nisi Ecclesia diceret esse ab eo.

Ecce qualiter Sanctificatos in vtero,præter eos qui sunt de fide, Ioannem videlicet, & Ieremiam piè credimus alios. Inter quos Franciscum (vt Doctorum caterua declamat) Christum repræsentatiuum,imaginem Ectypam Crucifixi, effigiem perfectissimã, Agni occisi: exemplum nobilissimum, & proprijssimum cum suo exemplari concordans, numeramus,collocamus, & meritò.

Obiectio 8.

IN *prima libri pagella ait, come si può credere piamente,* deinde *non replicat ipsam particulam in corpore, sed absolutè sine cautela illa in principio posita piamente. Vnde se-*

qui-

quitur affirmatiuè loqui, fuisse B. Franc. in vtero Sanctificatum.

Solutio, & Resp. 1.

ECquid inde? Infertur ne quòd Ecclesia periclitatur vt de fide sentiat Beatum Franciscum tali priuilegio decoratum? Non est periculum quòd Ecclesia accipiat hanc conclusionem de fide, quamuis totus mundus vno ore clamaret Beatum Franciscum fuisse Sanctificatum in vtero matris. Ecclesia diceret, si ita creditis piè credite; non vos cogo, nec fidei catena vos alligo vt credatis. Ad rem itaque ipsemet inimicus est iudex, eò quod me fuisse in principio codicis protestatum, piè loqui in ea materia, clarè fatetur, testatur & liber. Et riuulus hic à suo fonte progreditur, nempe à pietate. Ergo riuuli aqua est ipsamet fontis. Ergo non temeraria, neque erronea dici potest loquutio mea. Si dixissem in protestatione quam facio in ipso libri vestibulo, *si deue credere, creda si &c.* Iure optimo censura teneret; At cum protestatus sim, hac in re piè me gerere, censura inermis euaneat.

Solutio, & Responſ. 2.

ADhuc ſi abſque illa particula in toto libro decurriſſem, nullum periculum, abſurdum, inconueniens, error, neq; temeritas inde nata; iam enim Catholici, à matre veritatis inſtructi, neminem in rebus fidei concernentibus niſi caput Eccleſiæ, Dei Vicarium, poſſe decidere, ac determinare non neſciunt. Nihil hinc agerem, ſi abſolutè, abſque illa mea priſtina ſaluitate, profarer.

Solutio, & Reſp. 3.

ADhuc ſi illam particulam, frontiſpicio operis non appendiſſem, nihil abſurdum, aut inconueniens naſceretur. Dicant agedum, dicant quæſo tam acres lyncei in me ſpectando, dicant oro: omnes alij quot quot de cunctis alijs Sanctificatis in vtero conſcripſere, cautela illa vſi ſunt? Minimè: ſed abſolutè, & affirmatiuè vt patet in eorũ elogijs præadductis, loquuti. Et tamen nullus hucuſq; (dato quòd Doctores illi talis tantæq; ſint ponderis) de fide tenuit, quod affirmant.

Pe-

Petrus Commextor de Iacob, ait: *creditur* tamen non creditur sed piè. Dionysius Carth. *Maximè cum credatur Iacob in vtero Sãctificatus.* Non tamen sed piè.

S. Ephren Syrus de Moyse; *qui Moysen in vtero Sanctificauit.* Non ait vt piè credi potest; & tamen tantum modo piè.

Ioannes Gerson de S. Ioseph. *Sanctificationem in vtero recepit.* Tamen de fide recepisse non fidimus.

S. Antoninus, de B.B. Nicolao, & Dominico, *hoc etiam credunt*: & nihilo minus piè tantum.

Laurentius Surius de eodem Nicolao. *Infantem autem hunc quis dubitet in ipso statim natiuitatis exordio fuisse Sanctificatum?* Et tamen dubitatur.

S. Hieronymus de Asella affirmatiuè ait: *in vtero benedicta*; & tamen non affirmatur in Ecclesia Dei.

Archiuium Calaritanum, Dimas Serpi Seraphinus Schyrro, & alij Auctores affirmant Georgium Suellensem in vtero Sanctificatum. Et tamen bonæ memoriæ Paulo V. Pont. Max. de huius rei pietate, volumen dedicatum, à Dima Serpi; Romæ in lu-

cem editum est compertum. Nec tantus Pō-tifex respuit huiusmodi Xenium, sed accepit, & liber ipse, gloriosis vestigijs per Ecclesiæ stadium currit impunè, & tamen solum piè.

Obiectio vltima eo, quòd sit vulgari sermone conscriptum opus.

AVctores illi simplicibus casus vllum discrimen adducunt, latio sermone loquuti; Ast hic Auctor vernacula lingua huiusmodi opiniones euoluit; quod planè vulgi imminet casus inscitiæ.

Solutio, & Responsio 1.

FLoretum Aluerninum est hac de re cō-scriptum, opus omnium expositum oculis latino sermone decurrens. *Theatrum* autem inscriptus liber, Italica pergit lingua; nec ideo Christiano populo casus impendet, imò deuotio in Crucifixum Iesum amoris excimen, atque flagrantia pietatis. Me audiente, in Ecclesia stigmatum S. Francisci, in Alma Vrbe Sodalitij, pręsentis anni 1629.

Se-

Septembris ipſorum Sacrorum Stigmatum Feſto, coram Prælatis, & multitudine copioſa Theologorum, celeberrimus tubicen verbi Dei, Sanctificatum fuiſſe in vtero B. Franciſcum affectu tenerrimo declamauit: idque infra octauam ſolemnitatis eiuſce die Dominica, qua ſolet B. Franciſci in ampulla ſanguis per Vrbem Romam, proceſſionaliter circumferri. Infra eiuſdem feſti octauam, eodemmet anno, Auguſtinianus (omnes enim Religiones prædicant per octauam, fitque die qualibet gemina Concio) Doctor Theologus, & concionator inſignis, ſanctificatum in vtero B. Franciſcum, circumſedentibus Eccleſiæ Prelatis, Viriſque celebribus Religionnm, non minus quam Docto pio ſermone firmauit. Et tamen, licet vulgaris extiterit ſermo talis, nonniſi amoris incendium erga Ieſum in Cruce vulneratum, Piorum in animis excitauit.

Solutio, & Reſponſio 2.

SI aliquod ſimplibus immineret periculum, quia opinio iſta vulgari ſermone verſetur; maius equidem impenderet: ex

quo

quo Summæ Conſcientiæ caſuum, quę particularitates continent vitiorum, vulgari ſermone decurrunt. At non imminet periculũ vllum, etſi conſcientijs propria materia difluat. Si opinio hæc de B. Franc. aliquo minatur incongruo; quo quęſo modo non minitatur incommodo, opinio Maruli de Presbytero Stephano, quæ vulgari ſermone vagatur? Quomodo non imminet vulgo periculum, ex opinione Gerſonis de S. Ioſeph quæ iam vbique locorum ac gentium vulgari quoque lingua diſcurrit? Valdeuieſo, & alij pluſquam 12. Auctores, vernaculo idiomate, ſoluta, nexaque opinionem ipſam oratione vulgarunt. Finaliter, quomodo Chronica Sãctorum Sardiniæ, ſanctificationem in vtero continens Georgij Suellij; in offenſo hactenus prorſus innoxio graditur pede? Et Chronica illa certè vulgaris eſt. Prætereo alia ne ſim grauis.

Concludimus; Franciſci rutilantiam, & ſplendorem lippis oculis caligare; nec mirum: quandoquidem pietatis affectus, & charitum nitidus animus luculentia pulueros hoſce non expiat oculos; qui velut al-

bam vident cornicem, Franciscum in vtero sanctificatum.

Concluditur de Sanctificatione.

DOctissimus Ioannes Echius in Concione quam habuit in Concilio Constātiensi, volens probare sanctificatione in vtero Ioseph Sancti hac ratione se fulciens aggressus est. *Quia, si Ieremias ad vaticinandum & prædicandum de Christo; & Ioannes Baptista ad eum baptizandum, & digito commonstrandum, sanctificati fuerunt in vtero matris; non est à ratione alienum, vt qui manibus frequenter per multos annos contrectaturus esset Sacratissimum Corpus Christi, Sanctus esse inciperet ab vtero matris suæ.* Hæc ille. Cuius & nos fulcro tam firmo, & stabili, possumus equidem firmare structuram; farique similiter de Francisco. Quia si Ieremias ad vaticinandum, & prædicandum de Christo; & Ioannes Baptista ad Eum baptizandum, digitoque commonstrandum, sanctificati sunt in vtero matris: non est à ratione alienum, vt qui non digito, sed vtraque clauigera transfixaque manu vtroque clauigero

tran-

transsixoque pede; qui tandem quasi lancea transfosso latere Christum Iesum pro nobis in Cruce vulneratũ commonstraturus erat; Sanctus esse inciperet ab vtero suæ matris. Hæc sola mihi pijsque videtur, opinionis huius ædificij molem sustinere ratio posse: Valeat, atque viuat Franciscus noster in vtero sanctificatus.

De pietate confirmationis in gratia. difficultas 3.

ILlud, quod sæpius in *Theatro Seraphico*, sic in scripto volumine, dicitur, *Beatum Franciscum accepisse in vtero vnà cum sanctificatione confirmationem quoque in gratia.* Censentes in latitbulo aliqui, en caput ipsis à tenebris effert.

Si

Si Franciscus, vt piè creditur, in vtero Sanctificatus, erit & confirmatus: solet enim de regula ordinaria, quos in vtero Deus sancti- ficat confirmare.

QVamuis actus sanctificationis sit realiter distinctus ab actu confirmationis in gratia, potest siquidem Deus infundere gratiam, & non ipsa hominem confirmare; vt in baptismo fit, in quo sanctificat quidem, & non confirmat omnes in eo. Nihilominus Bonitas optima, atque Maxima Dei nostri solet quos in vtero sanctificat cõfirmare, vt patet in Ioanne, qui confirmationem quoque accepit in vtero, non enim vnquam peccauit mortaliter. (Si venialiter, est quæstio inter Doctores) patet in Ieremia, de quo non legitur crimen. Alij etiam, qui piè habentur in vtero sanctificati, vt Ioseph, Iacobus Apostolus, Iacob, Moyses, Isaias, Asella, Georgius, Stephanus, Ruffinus &c. Sanctissimè peragrasse vitæ curriculum perhibentur, quin de illis reatus legatur. Constat itaque Dei prouidentiæ Regulam esse, quos in vtero sanctificat confirmare. Constat insuper

ſuper Angelici Thomę Doctoris eloquio, par.3.q.28.art.6.de ſanctificatione Virginis ita fantis. *Cuius ſignum eſt, quòd Beatæ Virgini præſtitum eſt, vt de cætero non peccaret mortaliter, nec venialiter. Alijs autem* (nota hæc verba) *Sanctificatis creditur præſtitum eſſe vt de cętero mortaliter non peccarent, Diuina eos gratia protegente.* Hęc ille. Diuus Antoninus a Florentia,in 3.par. ſummę tit. 19. *operabatur*, inquit, *ſanctificatio iſta, ſecundum Doctores, purgationem ab originali peccato, cum tanta ſoliditate, quod non poſſent peccare mortaliter.* Probatum Eccere ſanctificatos, in vtero confirmari; habet enim iuſtificationis huiuſmodi priuilegium, concomitantiā iſtam confirmationis in bono: vt ex doctrina Thomæ, & Antonini liquet. Accedit Diſertiſſimi Franciſci Suarez teſtimonium, qui lib. 10. cap. 6. de Gratia ſic fatur. *Certum eſt Apoſtolos à die Pentecoſtes, & Paulum fortaſſe à die conuerſionis ſuæ fuiſſe confirmatos: & de omnibus in vtero ſanctificatis idem ſentit, Gabriel in 2. diſt. 20. art. 2. & de S. Ioſeph idem ſentit Gerſon, ſerm. Nat. Virg.* Hæc Suarez. Ex ijs ſequitur, B. Francconfirmatū fuiſſe in gratia, ſimul ac ſanctificatum: eademque fit pie-

tas

tas de vno ac de alio, & nullum inconueniẽs sequitur.

Priuilegium etiam de veniali nonnullis Deus dedit in vtero sanctificatis.

DOctor Suarez lib. 9. cap. 8. fol. 333. tom. de Gratia probabile tenet, non sòlum à mortali, sed etiam auxilio Dei speciali, à veniali peccato immunem in tota vita hominem perseuerare. Quid igitur mirum si à mortali Francisco contulit Bonitas summa franchitium? *Vt Elias Cretensis*, ait Doctor, *orat.* 4. *Nazianz.* §. *viri simul*; *ait enim. Multi quippe hoc Dei ope, atque auxilio septi præstiterunt, ac supra hos omnes, Dei Genitrix, quę nec sordidis quidem cogitationibus vnquam inquinata est. Stapletonius autem Actor.* 15. *vers.* 10. *ait aut nemini, aut paucis id esse concessum. Claudius verò Guillal. Matth.* 6. *addit. Paucis exceptis.* En patet etiam venialis immunitas concessa nonnullis. Echius tamen rem istam altius repetit; omnes sanctificatos in vtero, immunitatem peccati etiam venialis accepisse. Quamquidem opinionem neque defendere, neque impugnare con-

contendimus, sed referre; vt extat apud Suarez loco adducto, sic aientem. *Et ita de omnibus sanctificatis id sentit Echius de Prędest. cent. 3. in principio, & ita hoc tribuit probabiliter Sancto Ioseph, quia putat fuisse in vtero sanctificatum: & citat Gersonem serm. Natiu. Mariæ considerat. 3. Alphab. 59. litera, S.* Hucusque Doctor Suarez.

Per gratiam Dei potest homo sine peccato vitam suam transigere, & hoc negare temeritas est ex Augustino.

AVgustinus apud disertum Franciscum Suarez lib. 9. cap. 8. de gratia, (qui Doctorem ipsum ita asserentē, lib. 2. de peccator. merit. cap. 6. refert) posse hominem in hac vita sine peccato viuere affirmat, ijs verbis. *Qui dicunt esse posse hominem in hac vita sine peccato, non est eis incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negauerimus & hominis arbitrio libero, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, ac misericordiæ, qui hoc aliquando efficit, derogabimus.* Iam igitur non est inconueniens dicere, quòd homo potest au-

auxilio Dei ſine peccato vllo perſeuerare,& viuere. Concedet aduerſans, de actu verò in hoc vel illo negabit: benefacit ſi fundamentum negationis inuenit. Nos pietatis fundamenta reperimus, de B. Franciſco nunquam fuiſſe peccati mortalis fuligine temeratum: poſſibile eſt hominem abſque peccato eſſe Dei præſidio: poſſibile igitur, & Franciſcum abſque peccato eſſe? Maximè: fuiſſe abſq; veniali, non dicimus, quia fundamentum ad hoc dicendum non habemus: abſque mortali autem fundamentum habemus rationibus,& auctoritatibus nitens.

Auguſtinus docet, tolerabilem eſſe opinionem de aliquo Sancto non feciſſe peccatum; quamuis ille qui tale aſſerit non probet.

AVguſtinus pijſſimus, Eccleſiæ lumen, & Fidei noſtræ Catholicæ, atque Apoſtolicę firmamentum, damnat quidem eos qui de aliquo Sācto aiunt poſt eius vocationē, abſque vllo peccato fuiſſe: nihilominus quaſi reuocans, ait humanum eſſe errorem, ſed tolerabilem quamuis tale aſſerens minimè

mè probet. Audiamus disertissimum Suarez loco præfato, sic fatum. *Præterea idem Augustinus in epist. 95. refert quosdam sensisse, aliquos per Christi gratiam, post conuersionem sine peccata fuisse, & hoc damnat. Sed ad summum dicit, esse errorem humanum tolerabilem: quo quis elaboranda, & optanda affirmat: etiamsi quòd affirmat non possit ostendere. Et idem sentit lib. de nat. & gra. cap. 42. 60. & 69.* Tolerandus esset igitur noster error si error esset, dicere quòd B. Franciscus absque peccato mortali suæ vitę curriculum egit. Sed non est error, de alijs enim ferè innumeris asseri scimus, quin probent, nec rationes assignēt. Error fuisset humanus, si absque omni peccato vixisse Seraphicum affirmassem, & tamen tolerandus iuxta Augustinum. Sed ego tale non dixi, ergo non error: neque de peccato mortali affirmatiuè loquutus fui, sed cautè, piè credi posse; & hoc initio operis protestatiuè, vt exin ipsamet pietas intelligatur, etsi minimè repetatur.

Non

Non modo Virgini, sed etiam alijs nonnullis Sanctis concessa legitur peccati actualis immunitas. Ex Augustino, & Athanasio.

DOctor Suarez in 3. par. D. Thomæ q. 27. art. 3. sect. 2. & 3. Athanasium, & Augustinum referens probat alios, vltra B. Virginem, Sanctos expertes peccati vixisse. *Hoc priuilegium datum est alijs Sanctis. Athanasius serm. 4. contra Arrianos, circa medium ait; plures Sanctos fuisse puros, & omnis criminis expertes: & specialiter nominat Ieremiam, & Ioannem Baptistam. Idem Augustinus, in Enchiridion, cap. 64. dicit: hominibus interdum per gratiam concedi, vt hanc vitam sine crimine transigant licet non sine peccato. Ex quo cõstat, nomine criminis, mortale peccatum Patres intelligere. Idem docet lib. de Natura, & gratia cap. 36.* Hæc Suarez, & in Concilio Trid. sess. 6. Can. 23. posse hominem iustum vitare omnia peccata, etiam venialiter per totam vitam ex Dei speciali priuilegio, quemadmodum de B. Virgine, tenet Ecclesia. Suarez quoq; lib. 19. cap. 8. non solum per aliquod tempus, sed etiam per totam vitam

diu turnè, posse hominem vitare omnia venialia probat. Sequitur igitur non erroris, nec me reum temeritatis affore; dum non omnigeni dixerim fuisse peccati expertem, sed mortalis; congruentijs inquam rationibus, piorumque hominum dictis innixus.

Probabile est ac verisimile nonnullos fuisse confirmatos in gratia.

DOctor Suarez, de Gratia, lib. 10. cap. 6. ait. *Communiter credi Paulum confirmatum fuisse in gratia, à tempore conuersionis suæ, vel baptismi, vt indicat Beda act. 25. Ieremias, Apostoli, & S. Ioseph confirmati in gratia fuerunt. Et denique multos Deus confirmauit in gratia; quamuis id neque ipsis, neque alijs in hac vita reuelauerit.* Hæc Suarez contra Vasquez qui in 1. par. disp. 90. cap. 2. asserit confirmatos in gratia semper habere reuelationem suæ confirmationis: quod ab ipso Doctore Suarez reijcitur.

Præ-

Prædestinatos, priusquam moriantur, aliquo tempore confirmari in gratia, est probabile.

IDem eodem loco Doctor hoc modo. *Probabile est, & verisimile, etiam aliquos alios eximiæ Sanctitatis viros fuisse pro aliquo tempore in gratia confirmatos. Vnde fit consequens per illud ipsum donum à fortiori perseuerantiã in gratia recepisse.* Et cap. 8. ait. *Non est inconueniens, quòd Prædestinati pro aliquo tempore confirmati sint in gratia, priusquam moriantur.* Non ergo repugnat in aliquo dicere, quòd B. Franciscus fuerit confirmatus in gratia: quandoquidem, vt vidimus, multos Deus confirmauit in gratia, etsi nobis occulti sint. Nec valet obiectio, quòd *pro aliquo tempore; & non pro toto vitæ cursu*; quia in baptismo quidam, in vtero alij, in conuersione alteri, confirmationis priuilegium sunt adepti, vt ex verbis illis. *Ieremias, Apostoli, Ioannes, & Ioseph confirmati in gratia fuerũt*: & ex illis quæ subdit Suarez: *Denique multos Deus confirmauit in gratia*. Patet per totam vitam perseuerasse absque mortali culpa: quia quum ait; *multos Deus confirmauit in*

gratia, non poſuit limitem, ſed abſolutè pro vita. Et vt ſupra viſum eſt, *Non ſolum per aliquod tempus, ſed per totam vitam, diuturnè poteſt iuſtus vitare peccata non ſolum mortalia, ſed & venialia quoque*. Ergo &c.

Probans B. Franciſcum non feciſſe mortale peccatum, perſeuerantiam habuiße probo; perſeuerantiam probans, confirmationem in gratia probo, quia idem eſt perſeuerantia, & confirmatio, ex Suarez.

CVm de aliquo Sancto peccatum mortale nõ legitur, aut quia reuelatum, aut quia probabilitatis adeſt fundamentum, aut tandem vt ſolet ſępius fieri, poſt mortem Confeſſarius non inueniſſe vnquam in illo peccatum mortale teſtatur, tunc ſtabilitur de ipſo pietas immunitatis peccati, & perſeuerantiæ diuturnæ in bono, & affirmatiuè poſtea ſcriptores aiunt hominem illum vixiſſe puriſſimum ab omni contagione mortalis. Ita ſcribitur de B. Benedicto, Bernardo Dominico, Petro Martyre, Vincentio Ferrerio, Ludouico Epiſcopo, Bonauentura, Ni-

Nicolao Tolentino, alijſque ferè innumeris non ſolum Sanctis Canonizatis ab Eccleſia, ſed adhuc de alijs non Canonizatis legitur non peccaſſe mortaliter,& hoc eſt notum,& manifeſtum qui lectionibus ſcripturarum,& Sanctorum vitis incumbit.

Signum eſt igitur euidens perſeuerantiæ; ita vt negari non poſſit, hominem illum, cui Deus ſuis auxilijs gratiæ ita aſtitit, vt ſemper perſeuerarct, & nunquam peccaret mortaliter perſeuerantię donum habuiſſe; qua data,& confirmatio danda eſt; idem enim ſunt perſeuerantia, & confirmatio, ſecundum Doctores,& probat Suarez cum magna eruditione. Verum eſt quòd confirmatio dicit maiorem perfectionem, & intenſionem quàm perſeuerantia; nihilominus Doctores idemtificant ipſas. Probemus iam, idem eſſe perſeuerantiam, ac in gratia confirmationē.

Doctor Suarez de gratia, ſupracitato loco, ait hoc modo. *Sacra ſcriptura perſeuerantiam ſolet vocare confirmationem, & in illa perinde eſt, à Deo perſeuerantiam, ac confirmationem poſtulare; vt patet ex Diuo Paulo 2. Theſal. 2. dicente: ipſe autem Dominus Ieſus Chriſtus confirmet corda veſtra in omni opere,*

& sermone bono. Et psalmo 64. confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Et Psal. 50. Redde mihi lętitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Vnde in Psal. 4. ait Dauid, me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Quòd si Dauid fuit singulariter confirmatus; eo scilicet modo, qui Apostolis, ET ALIIS INSIGNIORIBVS SANCTIS TRIBVITVR.

Franciscus non est de insignioribus Sanctis Ecclesiæ? imò cunctis insignior, ratione stigmatum.

C*Ertè non veretur idem Dauid de* OMNIBVS IVSTIS *absolutè dicere: Confirmat autem iustos Dominus Psal. 36. & Paulus ad Thes. 3. Fidelis autem Dominus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo.* Hęc Suarez.

Proba-

Probatur iterum idem esse perseuerantiam, & confirmationem.

PRosequens probabiliter Doctor ibidem dicit. *Vnde colligere possumus, Deum confirmare hominem, illum à malo custodiendo. Per donum autem perseuerantiæ illum à malo custodit, ergo confirmat illum. Accedit quòd Diuus Augustinus accuratè differens de donis gratiæ, nunquam distinxit donum perseuerantiæ à dono confirmationis: sed sub perseuerantia semper vtrumque concludit: neque aliam differentiam inter Sanctos confirmatos, & perseuerantes in gratia constituit. Simili modo procedit D. Thomas in hac materia. Nam in* 1.2.*q.*109. *Sub perseuerantia includit omne auxilium dirigens, & protegens contra tentationum impulsus; quod tam confirmationi, quam perseuerantiæ conuenit. Et in q.* 114. *art.* 9. *eodem modo loquitur. Et in q.* 14. *de verit. art.* 9. *Idemque Salmeron in præambulis ad Epist. Pauli, part.* 2. *disp.* 14. *&* 15. *multa congerit de confirmatione, & perseuerantia in gratia. Quæ si rectè spectentur indicant esse eandem rem, diuersis vocibus significatam:* Hæc Suarez.

Si

Si B. Franciscus non peccauit mortaliter, perseuerauit in gratia: si perseuerauit in gratia, confirmatus fuit in gratia.

DOctor Seraphicus Bonauentura, rerũ S.Francisci explorator egregius, vitã eius scripsit; qui vti vicinus, & propinquus gloriosi Patriarchæ ætati, facile potuit, & à socijs B. Francisci, & ab alijs qui cum ipso viuente conuersati sunt, eam perlustrare, & scire, vt de facto perlustrauit, & sciuit. Vnde non est adhibenda fides in hoc neque Antonino, neque Vincentio Burgundio, qui aiũt B. Franciscum fuisse lasciuum in iuuentute, & ambulasse vsque ad 25. annum in via perditionis. Non est eis vllatenus in hac materia danda fides cum ipsi non sint scriptores antiqui respectu Bonauenturæ, & aliorum, qui vitam B. Francisci scripserunt: nec Antoninus, nec Vincentius ille, socios B. Francisci, eiusque coęuos attigit ætate, sed nouissimo sæculo deuenere: & citantes Bonauenturam Iacobum à Voragine Surium, & Lipomanũ deprehenduntur improbabiliter processisse quia nec Bonauentura, nec Lipomanus, nec Surius, nec tandem Iacobus à Voragine, di-

xerunt

xerunt vnquam, *B. Franciſcum vſque ad* 25. *annum ſuæ ætatis, inceſsiſſe laſciuum, & impudicum iocis, & cantibus, & geſtibus, in via perditionis, trahentemque cæteros cauda ſua, ad huiuſmodi viam.* Credendum eſt igitur Cateruæ copioſę ſcriptorum, qui *B. Franciſcum, præuentum fuiſſe in infantia ſua chariſmatibus diuinis, & gratiæ donis affirmant; & aſtitiſſe illi iugiter diuinum pręſidium in ſua iuuentute ne vanitatum, inter quas educabatur à vano patre, impingeret, ſeu illideret ſcopulis; altè proclamant* legite Bonauenturam, librum *trium ſociorum:* legite *Speculum*, *Celanum*, Rodulphum *in hiſto. Seraph. Rebolledum in Chronica,* legite *conformitates; Vbertinum,* Lyranum, Lipomanũ, Suriũ, S. Bernardinum, Doctorem illuminatum; Pelbartum, Bigam Salutis, Dialogos Aluernæ; legite tãdem legite *Annales Minorum, Antiquitates Franciſcanas,* Ioannem, Oſorium, Valderrama, & alios pluſquam 30. Modernos, & vide te ſi Franciſcus fuit impudicis deditus exercitijs, laſciuus, & vt Antoninus, & Vincentius aſſerunt, obſeruate an fuerit Franciſcus, *factus inſolentior ſuis nutritoribus, & in via perditionis ambulauerit, caudaque ſua alios*

iuue-

iuuenes ad vitia traxisse. Arabitis littus; nodum in scirpo quæretis, & albam cornicem.

Doctoris Seraphici, de infantia, pueritia, & iuuentute B. Francisci testimonium.

IN legenda maiori, & in officio quod ipsę edidit, pueritiam, & iuuentutem B. Francisci Sanctam fuisse astruit Doctor Seraphicus: & non solum sanctam, sed etiam gratiæ donis affluenter impletam, atque præuentã benedictionibus gratiæ. *Etenim* inquit, *cum inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus; superno tamen sibi assistente pręsidio, nec inter lasciuos iuuenes post carnis petulantiam abijt, nec inter cupidos mercatores sperauit in pecunia, & thesauris. Deus enim ipsum in benedictionibus dulcedinis pręuenit, & de pręsentis vitæ periculis clementer eripuit, & cælestis gratię donis affluenter impleuit.* Ec quid aliud hoc desiderabilius testimonio? Ecquid aliud clarius? ò Francisce, Francisce quàm similis Christo fuisti, in omnibus ferè actionibus vitę tuæ: Quin etiam, & in persecutionibus, lasciuis, & impudicus tu? insolentior factus nutritoribus tuis? in via perditio-

ditionis inceſſiſti 25. annos? Cauda, vti veneficus anguis, peremiſti multos? Bonum Deum: Qui quæſo nutritores tui, niſi Pater & mater tua? Pater inſolens nunquam legitur; imo nobilis, & mercator ex primis Italiæ: inſolentię non quidem nobilium hominum, ſed vilium ſunt Spuriorum, atque vulgarium gerulorum. Mater tua quando inſolens? Vbi legitur inſolens? Nonne ipſam virtutum numeris abſolutam honeſtiſſimam matronam Vmbriæ apud cõformitates fuiſſe legimus? Nonne quando fœta te fuit irradiata diuinitus prophetauit? ita planè legimus apud Magiſtrum Theologum conformitatum: non igitur nutritores tui inſolentes & ſi illi non inſolentes, fundamentum relationis addictæ corruit, vt fueris inſolentior illis. Ens rationis, fictilis & chimæricum eſt itaque, quod Burgundus in ſuo ſpeculo hiſtoriali formauit: aſſerens, non opinans, te inſolentiorem tuis parentibus, &c. Non imitatus eſt alios pietatis, & eruditionis viros eximiæ ſui ordinis; qui te cum omnis reuerentiæ termino deſcribunt, tuamque vitam jugiter diuinæ gratiæ radijs illuſtratam fuiſſe declarant.

Expen-

Expenduntur benedictiones dulcedinis quibus preuentus est Franciscus in sua infantia.

MAgister sent. in psal. 20. benedictiones dulcedinis intelligit pro immunitate peccati; *quę quidem immunitas,* inquit, *dicitur dulcedinis, quia totum fuit ex gratia. Cũ enim alij amaritudine Adę præueniantur, eum solum, nempe Christum, à primo cõceptionis instanti pręuenit Deus in benedictionibus dulcedinis, idest immunitate peccati; quę est ex gratia; & illi pręuento immunitate, fel peccati nostri non nocuit.* Sic Magister. Hugo Cardinalis, *benedictiones dulcedinis* accipit pro immunitate peccati, consule illum super eundem psalmum. Vnde cum benedictiones dulcedinis in Christo peccati omnigeni sordes excludant, in alijs Sanctis re satis vera originale minimè, actuale minus. Ast in vllis insignioribus, benedictiones istæ dulcedinis peccatum mortale excludunt, juxta intelligentiam Hugonis, & Magistri; quin etiã & D. Antonini de Florentia qui in 3. par. Histo. tit. 23. cap. 1. de Beato Dominico exponit hoc modo. *Dominicus* ait, *quasi à Domino custoditus; scilicet à corruptione peccati.*

Et

Et vnde hoc nisi quia in benedictionibus dulcedinis gratiæ à Domino prȩuentus ȩst, ita vt in ipsa sui ætate tenella, &c. vide illum. Et ecce benedictiones dulcedinis pro immunitate peccati ex Antonino. Qui simili sensu deuoluit, & versat eadem verba, in vita S. Petri Martyris dicens. *Primò fuit præuentus huiusmodi benedictionibus gratiæ, & in baptismo, quando fuit iustificatus, & à pueritia sua liber à tenebris hæreseos parentum suorum. Fuit secundò præuentus in benedictionibus dulcedinis, gratiæ, quando illustratus à Deò, seculum deserens, Religionem intrauit. Tertiò fuit præuentus gratia, modo singulari, quia in vita sua nunquam mortalis criminis sensit contagium.* Hinc se profert congruentiæ nostræ contextus, & probabilis veritatis robur effundit. Quatenus, Bonauenturæ, Lipomani, Surij, ac decumanorum eius de excellentijs Chronistarũ, elogio; *Deus ipsum* (Franciscum scilicet) *in benedictionibus dulcedinis benignè præuenit, & de prȩsentis vitæ periculis clementer eripuit, & cȩlestis gratiȩ affluenter impleuit*; & hoc suæ vitæ primordijs (de ipsis enim est sermo apud Doctores) quatenus etsi *nutritus inter sæculi vanitates, astitit ei tamen supernum præsidium*

ſidium, vt ipſi Doctores conſtantiſſimè aſſerunt, immunis à mortali fuiſſe delicto clariſſimè patet. Hoc ſolum ſufficit ad probandũ, ex doctrina ſuperius adducta, priuilegium ipſum confirmationis adeptum: quandoquidem peccatum mortale non fecit, quod ſignum eſt perſeuerantiæ: quæ idem eſt cum confirmatione.

Proſequitur Auctor benedictiones dulcedinis, ex ſacris expoſitoribus.

BEnedictiones dulcedinis de diuinis chariſmatibus intelligit Gloſſa dicens: in benedictionibus dulcedinis, ideſt in chariſmatibus Spiritus Sancti. Quibus illa Seraphici de B. Franciſco verba Doctoris arrident. *Hic Vir in vanitatibus nutritus indecenter, diuinis chariſmatibus præuentus eſt clementer*. in Floreto diſcuſſinus ly *indecenter*. Appellat enim ſuper indecentiam eius patris Petri Bernardonis; qui debebat talem ac tantum filium non mercaturis addicere, non ſæculi quidem negotijs mancipare, ſed virtutis à puero ſtudijs addicare: ſciebat enim, ſuæ cõiugis formatus elogio, attigit enim diuinitus illu-

illustrata futura cōtingentia filij, vt superius ostēdimus, & patet in conformitatibus, cap. *Franc. Vir lætatur*. Quo circa hisce de rebus filij sui certior factus, tum cōiugis vaticinio, cum etiam, quia viderat eum ad pręsepia nasci, non fortuitò sed Angeli monitu: viderat insculptum Thau super humerum eius: viderat in die baptismi peregrinum illum tenentem in lauacro puellum ex oculis omniū disparuisse: viderat insuper lumen, quod in habitaculo nascente Francisco refulsit; viderat alia, audiuerat plurima coniugis ore, & finitimorum Spoletanæ vallis relatione, de lumine, quod illa nocte cum omnium stupore colluxit; & tamen cęcus Diuini Mysterij radijs, non Patribus illis Benedictinis, qui tunc erant in Monte Subasio, in Portiuncula, & in Cęnobio Carcerum, apud Assisium, educandum in Dei timore, & amore filium tradidit, nec vt decebat sacris addixit, sed mercum inuolucris indecenter. Pater tamē cælestis terreni genitoris incuriæ, cum magna prouidentia suppleuit abundè. Quia *benedictionibus dulcedinis benignè præuenit, & de præsentis vitę periculis clementer eripuit, & cælestis gratię affluenter impleuit. Etenim cum*

H *inter*

inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus indecenter, & mercaturę deputatus negotijs: superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos post lasciuiam, nec inter mercatores post cupiditatem pecuniæ *abijt*: imò non obstantibus quibuscumque, *diuinis charismatibus pręuentus est* clementer, & sic ly *clementer*, indecenter illud superauit.

Prosequitur, & absoluit expendere benedictiones dulcedinis.

OMnes ferè expositiones huius loci, fauent; vt piè concludam, benedictiones dulcedinis, quibus Patriarcha Seraphicus ab incunabulis, & vnguinculis præuentus fuit, Spiritus Sancti dona fuisse nō dubitem. Glossa ibidem alia dicit: quòd *præuentio illa nil aliud est, quàm repletio donorum Spiritus Sancti, quibus repleta fuit anima Christi in primo instanti suæ creationis, & quòd talis repletio non est nisi præuentio.*

Magnus Pater Augustinus ad hæc verba, præuen. eum in bened. dulc. fatur hac serie. *Pręuenisti, hoc est, prius in eum munera gratię contulisti.* Similiter se gerit in exponendis

his

his verbis, Iacobus de Valentia. Hugo Cardinalis. *In benedictionibus, quæ consistūt multis in amotione culpæ, Eccles. 39. benedictio illius quasi fluuius inūdabit, qui scilicet leuat sordes. In collatione gratię Genes. 27. Deus tibi det de rore cœli, & de pinguedine terrę abundantiam. In conseruatione gratię; Deuter. 33. benedictio illius, qui apparuit in Rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos.* Beatus Franciscus præuentus multifariam multisq; modis fuit in benedictionibus dulcedinis; infans auxilio ne peccaret adultus; adultus accipiēdo à Deo (ex doctrina Augustini referente Hugone Cardinali) voluntatem boni: accipiendo vt vellet, & pariter ne frustra vellet. Sequitur ex adductis Hugonis, quòd si præuentio consistit etiam in collatione gratiæ, & Franciscus iuxta Bonauenturam, Lipomanum, Surium, & multos alios fuit præuentus in sua infantia, *ne inter vanos nutritus indecenter*, peccaret mortaliter, (frustranea siquidem foret præuentio, si contra peccatum medicinam non atulisset) Franciscus præuentionis gratia nō peccauit: qui si peccauit, pręuentus non fuit; de illo enim tempore, quo incipiebat intra-

re pericula, loquuntur Doctores; verbis illis expresse; *iuuenili ætate*.

Preuentus fuit etiam quando dispensatione diuina natus in stabulo natiuitatis humilis Iesu dulcedinem retulit. Siquidem, vt canit Ecclesia, *in die illa stillarunt montes dulcedinem, & colles fluxerunt lac, & mel. Illa die nobis de cœlo pax vera descendit, & tunc per totum mundum melliflui facti sunt Cœli*. Vnde Theophilus ait, illa felicissima, quæ cæteras illuminat, nocte, mel fuisse, vt illud hodie melliflui facti sunt cœli esset in re. Præuentus est pariter in dulcedine, quando Cruce in dextro humero fuit signatus ab Angelo, & cum sit dulcis, imò veræ dulcedinis scatebra Sancta Crux, *dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus substinens*, in dulcedine præuentus est. Præuentus itidē in baptismo, in cuna in fascia, in pueritia, in iuuentute, tandemque præuentior in professionis solemnitate votorum quum Apostolicæ fastigium vitę conscendit &c. Vnde verum est, & verissimum, quod Bonauentura, & alij asserunt ne adultus ostenderet, *diuinis charismatibus præuentus est clementer*. Notate, o Pij, & vim illius verbi, *charismatibus* ponderate:

rate: non enim vno solo charismatę præuentus, sed *charismatibus* : particula indefinita æquiualens est signo vniuersali, *omnibus*.

Obiectio, quòd si præuentio hæc; confirmationi alludit; ergo omnes Sancti, de quibus dicitur, præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, *confirmati erunt*.

CAnitur de multis Sanctis in officio, *pręuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, ergo omnes isti præuenti fuerunt immunitate peccati mortalis, ergo omnes non peccarunt mortaliter. Doctor Suarez, vt supra iam visum, probabile reddit, & verisimile. Prædestinatos saltem pro aliquo tempore, antequam moriantur, in gratia confirmari. Ex hoc igitur concedo Sanctos omnes illos de quibus dicitur in officio, *pręuenisti eum in bene. dulced.* non modò præuentos, verùm & pro aliquo saltem tempore, ante mortem in gratia confirmatos fuisse. Quid inde? Beatū Franciscum non elici fuisse præuentum, & confirmatum nisi aliquo tempore vitę suæ? Verum esset si Bonauentura, & alij Docto-

res non de alio quam de illo vicino mortis eius tempori, determinatè, aut de aliquo alio indeterminatè tractassent. Verum, quia de infantia eius est sermo, & non nisi de iuuentute loquuntur, vt patet in dictis eorum; non valet obiectio.

Probat Auctor nunquam peccasse mortaliter B. Franciscum; eiusque iuuentam Sanctam, & puram fuisse.

Probatio 1.

SVpposito, quòd de illo mortale peccatum Bonauentura, & Socij S. Francisci non scribunt: suppositis testimonijs Bonauenturæ, Lipomani, & Surij adductis, & adducendis, quòd in eius infantia supernum prȩsidium illi astitit, & quòd diuinis charismatibus fuit ne in crimen adultus incideret, prȩmunitus, suppositis rationibus, & testimonijs infra citatis, & assignatis, quæ ostendunt, in sua iuuentute minimè peccati mortalis contagio fuisse fædatum, & infectum, supposito testimonio Suarez 3. par. q. 37. art. 4. disp. 17. sect. 2. dicto. 2. quo affirmat, Beatum Franciscum à sua vocatione vsque ad

ad mortem suam meruisse augmentum gratiæ in cunctis operibus suis humanis: suppositis tandem testimonijs Beati Bernardini in Euangelio æterno, & Vbertini de Casale in Arbore Vitę Crucifixi Iesu, qui dicunt, in stigmatum receptione purgatum fuisse Frāciscum, ab omni rebellione, & Scoria, vt suo loco dicemus; clarissime liquet vniuersam eius vitam fuisse peccati mortalis expertem. Quandoquidem, de Sanctitate iuuentutis D. Bonauentura perhibet fidem, cum alijs 10. vel 15. Viris illustribus literatura. De tempore vocationis ad mortem, ipsimet, atque deinde, Suarez, S. Bernardinus, Vbertinus, Pachecus, & alij. Sufficeret vnus: non enim teneor plures adducere ad rei veritatē probandæ; probata siquidem manet vno.

Probatio 2. Ex D. Bonauen.

FAuet Seraphicus filius atque Doctor, Seraphico patri, Bonauentura inquam, dū in legenda, & in Officio B. Francisci gratiā baptismalem non amisisse indicat illis verbis. *Ioannes vocatus à matre; de hinc Franciscus à Patre. Vocationis quidem paternæ voca-*

bulum tenuit; sed & rem materni nominis non reliquit. Dicat nunc agedum aduersator, dicat rem nominis, *Ioannes*, quid innuere, quid sibi velle, quid significet? Ioannes, compertum est, & notum, quod idem est ac *gratiosus*; vel *in quo est gratia*. Sanctus Doctor hanc etimologiam, & significationem non nesciebat: vnde dici possit, non intendisse loqui de gratia, sciebat quod significatus huius nominis est gratia, gratiosus, in quo est gratia. Et hoc manet clarum, quod B. Franciscus quamuis reliquerit, & amiserit nomen *Ioannes*, ei à matre impositum, retinueritque *Franciscus*, non reliquit neq; amisit rem talis nominis, sed semper potitus est illa; idest, semper fuit gratiosus, & semper in eo fuit gratia: & sic nō perdidit rem huius nominis. Accedat Sophista garrulus, & probet contrarium; probet quod res huius nominis non sit eius significatus, & si significatus; probet non esse gratiam, *aut gratiosum, aut in quo est gratia*. Illumina oculos intellectus mei Francisce vt contra inimicos tuos defendere possim honorem tuum.

Pro-

Probatio 3.

DOctor Bonauentura serm. 1. B. Franc. ait hoc modo. *Adeò sic totus pius fuit, quòd in ventre matris pietatem assumpserit, & eam secum ex ventre portauerit. Patet ergo, quòd pietas, quæ fuit in Christo, renouata est in Francisco: ut quod præcessit in Rege, renouetur in milite.* Magna verba sunt hęc: *pietas quæ fuit in Cristo renouata est in Francisco, vt quod præcessit in Rege, renouetur in milite.* Ergo pietas ista non fuit solummodo naturalis inclinatio ad actum virtutis: quia pietas Christi virtus erat infusa, non autem inclinatio sola. Sed hanc Franciscus accepit in vtero, ergo ab vtero fuit Sanctus. Non enim animæ virtus infunditur, nisi eam prius ab originali culpa gratia expiet. Si autem pietas, quam Franciscus traxit ex vtero, nõ fuit nisi inclinatio naturalis; pietas Regis, vt asserit Bonauentura, non *renouatur in milite*, nisi sola inclinatio naturalis ad actum; quamquidem etiam Paganus habet naturalem scilicet propensionem. Et de hac non loquitur Doctor Seraphicus: siquidem si de ipsa loqueretur, sola inclinatio naturalis Christi ad actũ vir-

tutis

tutis renouata esset in Francisco. Ast ita res non se habet; quandoquidem clarè ostendit Bonauentura, quòd pietas, quam ipse portauerit ex vtero, est virtus, & non inclinatio naturalis ad actū huius virtutis. *Pietas*, ait Ambrosius, in Ps. 118. *virtutū omniū fundamētū est*. Et hanc Franciscus accepit in vtero: ergo gratiam habuit in vtero iustificantem, sine qua virtus infundi non potest.

Obiectio, & Solutio.

P*Ietas hęc non fuit virtus infusa, sed propensio naturalis ad actum pietatis, vt illa Iob, & non aliter*. Respondeo quòd illa pietas Iob, quam ipse asserit *ex ventre portasse*, verè fuit naturalis propensio virtutis ad actū & hanc Bonauentura tribuens B. Francisco, in legenda, & in officio, ait. *Inerat iuuenis Francisci precordijs diuinitus indita cum lenitate mansuetudinis quędam ad pauperes miseratio liberalis, quę secū ab infantia crescēs, &c.* Ecce miseratio illa, & pietas Iob; sed non ista. Quòd sit verùm, idem loquendi modus, & verba demōstrant. Quando enim Doctor Sanctus voluit loqui de propensione naturali

rali (si de hac intelligi debet hic locus) non vsus est illa circuitione; minusque inseruit, Christi simile; At cum expressè de pietate, quæ est virtus ipsa, atq; *virtutum omnium fundamentum* (teste Ambrosio voluit loqui: dixit, quod ipsa est *pietas, quæ præcessit in Rege, & renouatur in milite.* Quæ nam laus esset Francisco, si pietas hęc naturalis solummodò propensio esset? Hanc & reprobi habent nec inde laudandi. Virtus ergo infusa existimanda est, quæ sine gratia infundi non poterat. O quàm pretiosus hic nucleus? Quis eo sub cortice talem fuisset ratus nucleum inuenire?

Probatio 4. Ex D. Bonau.

NEc illa pietas, & miseratio quam in vtero Franciscus assumpsit, de qua S. Bonauentura ait: *diuinitus indita*, naturalis inclinatio, in rigore censenda est, sed virtus quoque non enim dicit natura indita, sed diuinitus: ergo fuit charisma diuinum, & non propensio naturalis consideret, & ponderet Pius verba illa.

Pro-

Probatio 5. Quod B. Franc. fuit præseruatus à peccato mortali ex Theologo Conformitatum.

NEmo ex Ordinis Nostri scriptoribus Bartholomæo Pisano illustrior est, veracior nullus. Hic in conformitatibus S. Frãcisci ad Christum Iesum, cap. *Franciscus molestatur*, habet hæc verba: *Franciscus ad instar Domini nostri Iesu Christi molestatus fuit ab hoste, nec victus ab illo: sed Christi gratia ab eius tentationibus liberatus est, & preseruatus.* Qui Beati Francisci Sociorum librum vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium eius.

Probatio 6. Ex eodem.

MAgister ipse Theologus conformitatum lib. 1. fruct. 4. semper habuisse B. Franciscum gratiam asserit. *In Dei prospectu B. Franciscus semper gratia, & virtutibus fuit amictus.* Absque dono perseuerantiæ (quæ idem est ac confirmatio, vt docent Doctores) gratia semper haberi non potest. Vnde si semper in conspectu Dei apparuit gratiæ,

tiæ virtutumque ſplendore venuſtus, perſeuerauit in bono: perſeuerauit; igitur eſt confirmatus in bono.

Probatio 7. Ex eodem.

IOachim Abbas prophetico ſpiritu (vt notum eſt) præditus, in vaticinio de B. Franciſco, vt apud Piſanum videri licet, ab infantia ſua virtutes, & efficacias gratiæ habuiſſe affirmat. *Eius efficaciẹ atq; virtutes ab infantia ſua incẹperunt.* Gloſſa ibi, de Franciſco Sanctitatem ab incunabulis innuit.

Probatio 8. Ex Hugone.

HVgo de Pratoflorido ſerm. de B. Frãciſco: affirmat eius Sanctitatem, *non interpolatam, neque interruptam fuiſſe, ſed continuatam per diuturnitatem perſeuerantiẹ finalis B. Franciſcus, à ſollicitæ continuationis effectu commendatur à ſua infantia.*

Te-

Testimonium illustre, seu Probatio 9. ex disertissimo Francisco Suarez.

DOctor Franciscus suum Franciscũ lynceis oculis, tersis ac nitidis contuens, vidit eum in sphæra sapientiæ suæ virtutum, & meritorum thesauris locupletem; Idcirco prorupit,& 3. par. q. 37. art. 4. disp. 17. sect. 2. dicto. 2. asserit hoc mirabile: scilicet quod B. Francisco à sua vocatione vsque ad mortem, talia fuerunt cõcessa auxilia ad operandum secundum gratiam,& charitatem habitualem; taliterque correspondisse efficaciæ gratiæ, vt semper operaretur ex tota efficacia charitatis,& gratiæ tam habitualis, quam actualis, seu mouentis. Et consequenter statim quidquid gratiæ merebatur; quia faciebat quod in se erat ad illud incrementũ obtinendum. Additque Doctor; quòd facilius idem credi potest de Apostolis. Et quod mirum est, vt patet ipsius Doctoris eloquio, quòd hæc gratia data est Angelis, vt secundum totum posse charitatis, & gratię habitualis,& actualis operarentur: & statim augmentum gratiæ, præmium sui meriti receperunt, & expreſsè dicit, eandem gratiam fuisse

fuisse Francisco collatam, vsque ad suam mortem. Consule quæso, & vide per totum caput, & locum citatum. Sed de ipsa gra à Angelis collata vide 1. p. q. 62. art. 6.

Dubium verò nostrum est, de illo verbo *vocatione*, quod à sua vocatione vsque ad mortem suam habuit huiusmodi gratiam: an Suarez intellexerit de prima vocatione, aut de 2. Quia prima vocatio fuit ab ineunte ęta te, ad operandum bonum, amplectendam virtutem, & fugiendum atque abhorrēdum vitium. Hæc vocatio legitur apud graues Doctores; Bonauenturam in legenda maiori, & in serm. B. Fran. Vbertinum de Casale in sua *Arbore vitę Crucifixi Iesu*: Lyranum, in firmamento 3. Ordin. Pisanum in calce capitis *Franc. molestatur*. Bigam salutis, serm. de B. Franc. Hugonem de Prato in serm. B. Franc. Historiam 3. sociorum Antiquitates Franciscanis Bosquerij. Speculum S. Francisci, impressum Venetijs, anno 1504. Ioannem Osorium in serm. B. Franc. Thomam Celanum in sua historia; Nicolaum de Nissa D. Bernardinum, Mayronium, & alios multos, à primis vnguiculis diuinę vocationis effectus exercuisse, vitans malum, & sequens bonum.

bonum. Secūda vocatio fuit ad Apostoli vitæ perfectionem, quando Crucifixus eum in templo S. Damiani orantem affatus est, dicens. *Vade Francisce repara Domum meam quæ labitur.* De ijs duabus vocationibus affirmare non audeo qualem Doctor Frāciscus intenderit. Opinor tamen de prima vocatione loquutum: nullum enim est inconueniēs; attenta finis, ad quem Deus illum elegerat, dignitate.

Probatio 10. *Ex Hugone.*

HVgo de Prato Sanctitatem B. Francisci ab infantia differit, aiens *B. Franscus ante conuersionem ad statum Religionis, vel perfectionis fuit fons; sed postea creuit in fluuium.* Fons esse non poterat, nisi bonus, & iustus fuisset.

Probatio 11. *Ex Nicolao de Lyra.*

NIcolaus de Lyra Doctor illustris, loquens de iuuentute B. Francisci, vt extat in firmamento 3. Ord. quod legi in Bibliotheca S. Saluatoris Florentiæ; sic ait.

Vul-

Vulgare poeticum est, dimidium facti qui bene cœpit habet B. Franciscus semper fuit Sanctus, & optimè incepit à tempore iuuentutis suæ: propter quod bene de illo dicitur: fundamenta eius in mõtibus Sanctis, ideſt, in virtutibus excelſis.

Probatio 12. Ex Lipomano.

ALoyſius Lipomanus in vita B. Franc. *Primùm ſupernæ gratię donis pręuentus fuit* (ò aureum) *dehinc virtutis inuictę adauctus meritis.* Ecce tota vitæ Franciſci in bono continuatio: ly ſi quidem *primùm*, ad vitæ primordia refertur, aliter non *primùm*, ly *dehinc*, ad cęterum vitæ curriculum; aliter non *dehinc*. Proſequitur ibidem Aloyſius, & ait. *Beatiſſimus iſte ſemper cogitatione verſabatur in cælo; ſemper eius felix anima ſummo Auctori puriſſimè, & intentiſſimè inhęrebat.* Nõ interludit, nec limitat tempus, ſed de toto eius vitæ diſcurſu loquitur. Et hic modus loquẽdi alludit verbis Diui Bonauenturæ qui in legenda ait, *vnxit eum Spiritus Sanctus*; Non eſt mirum ſi ſemper Deum præoculis mentis habebat; electus vti creatus, & deſtinatus ad magnos fines gloriæ Crucis.

Probatio aurea. Ex Theologo conform.

MAgister conformitatum in 1. Prologo conformitatum S. Francisci ad Christum Iesum, asserit nunquam B. Franciscum gratiam amisisse, sed semper habuisse, prius equidem præuenientem, postea conseruantem, dehinc consumantem, & perficientem ita enim sonant eius hæc verba: *Quem Pater misericordiarum & luminum, præuenit gratia, conseruauit, & consummauit. Cuius B. Patris quanta fuerit gratiæ plenitudinis affluentia qualis vita &c.*

Probatio 13. Ex Osorio.

DOctissimus, atque egregius Prędicator Osorius, Societatis Iesu, luminis orbis terræ, in Conc. B. Franc. ait *Beatus Franciscus nunquam vitiorum vsu sordidatus extitit.* Quid amplius?



Pro-

Probatio 14. Ex Vbertino.


VBertinus à Casale in *Arbore vitæ Crucifixi* lib. 5. habet hæc verba. *B. Franc. per actus vitæ Christi ab ortu ascendens Sanctam Christi vitæ conuersationem configurauit.* Per actus vitæ Christi ab ortu ascendisse, hisceq; actibus Christi Sanctissimam vitam cõfigurasse, nescio quo se fędere iungi possit, cum peccato mortali, & iuuentute lasciua Figura suo figurato correspondet, exemplari exẽplum, effigiato effigies. Christum (exclusa impeccabilitate à primo suæ generationis instanti, & summa qua potitus est gratia, vnione hypostatica, & beatitudine qua semper Beatus, & perfectissimus comprehensor fuit) Sanctum in sua vita fuisse non nescit Fidelis; hanc figurare non debuit nisi alia, per analogicam conformitatem, & similitudinem ei similis, & conformis: sed hæc iuxta Doctorem allegatum fuit illius configuratrix, ergo similis configuratæ, ergo semper Sancta, & pura.

Probatio 15. Ex Nicolao de Nissa.

NIcolaus de Nissa in vno sermone de B. Franc. *Totum pulitum, totum pulchrum & totum purum, & quantum ad animam, & quantum ad corpus fecit Deus Beatum Franciscum.* Non autem intelligatur ly *totum pulchrum,* eo modo quo dicitur de B. Virgine: *Tota pulchra,* absit: illa enim totalitatem habuit alio modo quo nemo ex Sanctis alter habuit, dempto Filio. Tota pulchra fuit, quia nec originalis nec actualis culpa in eam accessum habuit: Totalitas verò Francisci, iuxta Nissam, fuit lethalis fæditatis immunitas. Sola enim ipsa lethalis fæditas hominem fædat.

Probatio 16. Ex Voragineo.

EPiscopus Ianuensis, serm. de B. Franc. *Quoad animam, & quoad corpus B. Franciscus Sanctus fuit.*



Probatio 17. Ex Valderrama.

DOctissimus egregiusque Concionator Pater Petrus de Valderrama Augustinianus in suo *Theatro Religionum* loquens de B. Franc. ait: *Res Adæ peccatoris nullæ inuentę sunt in Francisco. Omnes enim res Francisci similes valde fuerunt rebus illius Adæ in statu innocentię constituti.* Verba oris mellisflui, affectus pijssimi pectoris, pietas Religiosi, vtique talis ac tanti Patris alumni. Aduertendum tamen quòd iste Pater non intendit dicere, quòd in Francisco non fuerint pœnalitates Adę, omnem posteritatem comprehẽdentes ob eius peccatum, vti capitis: non intendit Franciscum non habuisse passiones naturales, &c. Sed *res Adæ peccatoris*, intendit peccatum mortale, eiusque concomitãtia, & subsequentia. De hoc loquitur ille Auctor: & sic est intelligendus.

Probatio vltima. Ex speculo S. Franc.

SPeculum vitæ S. Franc. & sociorum antiquissimum est: cuius meminit in Apparatu Sacro Antonius Posseuinus, & ab ipso

ſo epiſtolam Ocham contra Pontificem Io. XXII. expungendam cenſet: vt realiter expunctam inueni ab ipſo Speculo, Venetijs, vt dixi, anno 1504. excuſſum in Araceli Bibliotheca aſſeruatum. In eo ſub finem Confeſſionem Generalem B. Franciſci cum Papa ijs verbis inuenio. *Semel confeſſus fuit Papę generaliter B. Franciſcus, & Papa dedit ſibi vnum Pater noſter pro pœnitentia; quia non inuenit in eo, pro quo illi maiorem pœnitentiam poſſet iniungere.* Hæc Speculum S. Franc. Ecce quanta munditia, & pueritate vixit Franciſcus: & hoc ſolum teſtimonium ſufficit, illo Iuris principio communitum: *qui malus eſſe non probatur, bonus præſumi debet.*

Ex quibus, hoc concluditur de confirmatione Beati Franciſci dilemma. Beatus Franciſcus nunquam peccauit mortaliter, vt ex dictis patet; ergo abinitio perſeuerauit in gratia, & donũ perſeuerantiæ Deo largiente, habuit. Nã ſine dono perſeuerãtię nullus in gratia perſeuerat, tentationes vincit, peccata cauet, beneque ſemper operatur. Cũ hoc donũ in collatione auxiliorum congruentium, & efficacium conſiſtat; ſine quibus nullus huiuſcemodi perſtat ex communi Theologo-

rum

rum sententia. Ergo ab initio fuit in gratia confirmatus, & ab vtero matris ei donum confirmationis fuit cōcessum; vt piè credo, & ex dictis eliquet. Nam, vt ex doctrina Frācisci Suarez vidimus, donum perseuerantiæ, & donum confirmationis in substantia idem sunt, & in eadem collatione auxiliorum cōgruentinm, & efficacium consistunt &c.

Quomodo sit intelligenda auctoritas S. Bernardini asserentis B. Franc. in receptionem stigmatum purgatum fuisse ab omni peccati Scoria.

BEatus Bernardinus à Senis, de Euang. æterno serm. 60. de stigmatum impressione loquens, purgatum fuisse tunc Franciscum ab omni Scoria peccati affirmat. *Ibi ardet Rubus* (idest in Horeb monte) *& non comburitur spina: quia in illa lege concupiscentia ardet, & non remittuntur peccata; & hæc reuelauit Dominus Moysi. Hic* (scilicet in mōte Aluerniæ) *ardet apparens Iesus, & consumit in Francisco concupiscentiam, & purgat in eo omnis peccati Scoriam.* Ad cuius intelligentiam notanda sunt hæc.

Nota primò.

IVxta Doctores, & Suarez lib. 19. cap. 8. Deum Optimum Maximum posse concedere non modò in vna, verum, & in tota materia fomitis, cui velit priuilegium eo modo quo B. Virgini concessum est: & hoc de fide est.

Nota secundò.

APud Gregorium lib. 1. Moral. cap. 4. ab Equitio in materia castitatis ablatum fomitem. Et apud eundem Greg. lib. 2. cap. 2. Moral. à B. Benedicto fuisse ablatum in ipsa materia. Tandemq; ab Angelico Thoma, in re castitatis amorum legimus fomitem ipsum.

Conclusio.

NOn est igitur inconueniens, nec Fidei, pietatiue, nec moribus obstat, piè credi, ablatum fomitem à Francisco saltem in re pudicitiæ, eo quo stigmata recepit tempore. Idque Bernardinus intendit dicere verbis

bis illis; *consumit Iesus in Francisco concupiscentiam.* Idemque Vbertinus à Casale in *Arbore* lib. 5. cap. 4. dicens claré sic. *Satis est probabile & multum deuotum credere, quòd Seraphica manus Iesu, tūc illam carnem purgauit ab omni rebellione.* Quid clarius?

Præterea Franciscus de Ossuna in Sanct. conform. lib. 3. fruct. 31. Franciscus de Ouando lib. 4. sent. dist. 21. prop. 30. Pacheco serm. 2. purgationis huiusmodi excellentiā, quando Seraphicus pretiosis Christi Passionis monilibus ornatus est, versant; quam quidem nonnisi de fomitis ablatione intelligo, in castitatis non verò in tota materia fomitis. Quandoquidem alijs Sanctis, vt vidimus concessum est huiuscemodi priuilegium. Et hoc est ad mentem S. Bernardini, Vbertini, & aliorum: & hoc expresse indicant illa eius verba *consumit Iesus in Francisco concupiscentiam.* Illaque Vbertini.

Enim verò in tota materia fomitis soli Deiparæ Gloriosæ Virgini concessum est priuilegium vt omnes Doctores tenent: nec vlli alteri fuisse concessum, vt ipsi Doctores asserunt absque temeritate affirmari non potest.

Quo-

Quomodo intelligendum sit illud B. Bernardini purgat in eo omnis peccati Scoriam.

DOcet Suarez ibi de gratia, concessum fuisse nonnullis Sanctis priuilegium vitandi venialia deliberata: *Gratiaque Dei, ait, posse hominem peccata etiam leuia euitare. Et quid aliud Christus Dominus hortatur apud Matth. 5. dicens; estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est? Et apud Ioannem 3. omnis qui natus est ex Deo non peccat? Et apud Lucã 1. de Zacharia, & Elisabeth; erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus eius sine querela: Et de Christo loquens ait Paulus ad Ephes. 5. dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea; vt exhiberet eam non habentem maculam neque rugam, neque aliquid huiusmodi: sed vt sit Sancta, & immaculata. Ergo per Christi gratiã potest impleri hoc in sua Ecclesia, saltem, aiunt Doctores, quoad aliqua membra: Et in quotidiana oratione nil aliud petimus nisi auxilium ad omnia peccata semper, & sine exceptione, vel diminutione vitanda. In prima, oramus, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam, &c. Et Paulus 2.*

Co-

Corint. 13. orabat dicens; oramus autem vt nihil mali Faciatis. Item in Letanijs, ab omni peccato libera nos Domine. Non loquitur de solis mortalibus, sed etiam de venialibus; tum quia est distributio absoluta, & vniuersalis; sæpiusq; repetita: tum etiã quia in quodam hymno Fer. 5. specialiter postulamus, & dicimus. Nihil loquamur subdolum, voluamus obscurum nihil: sic tota decurrat dies, nec lingua mendax, nec manus, oculi nec peccent lubrici, nec noxa corpus inquinet. Quibus verbis potissima genera venialium peccatorum comprehenduntur: Vnde sequitur; per gratiam Dei in potestate hominis esse vitare omne peccatum: alias esset impossibile talem orationem verè, & ex animo, & cum fiducia fieri. Omnia ex Suarez. Ecce amota ambiguitas penes eos qui difficilè putant hominem auxilio Dei posse vitare mortalia. Non quòd Deo potentiam denegent, faciendi sed difficultatem in concedendo. Falluntur tamen: facilè siquidem flectitur Deus amasię animæ, facilè cęlum suæ pietatis inclinat, & facienti quòd in se est nunquã denegat gratiam. B. Franciscus in stigmatũ receptione purgatus fuit, iuxta Bernardini testimonium ab omni peccati Scoria, ita vt

totum

totum biennium duxerit à peccatis venialibus (deliberatis inquam; non enim de subreptitijs audeo opinari) speciali sibi in ipsa stigmatum receptione collato diuinitus priuilegio. Nec obstat hoc Patribus, imò vt vidimus, Patribus est conforme: eorumque sententiæ congruum. Potuit Franciscus hoc priuilegio venalium expers, cum sacris stigmatibus biennium viuere? De hoc non dubium, sed de actu: actum ratio suadet, & B. Bernardini commendat elogium.

Obijcitur Testamentum B. Francisci, contra immunitatem peccati ipsius Sancti.

OMnis aduersarij neruus consistit in verbis, quæ B. Franciscus posuit in suo testamento, dicens, *Cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos.* Ecce Achillicum argumentum ipsius: *ergo ait, S. Frãciscus in peccatis erat; non est igitur verum, fuisse absque peccato atque inde consequens non confirmatum.* Debile telum debili, debile iaciam passeri? Merito; sufficit fictilis pilula sternere passerem, Acarum acus perimere cuspis arundineo hirundinem iaculo. Ast

non

non paruulorum sagittis, sed Hectoris hasta prosterno: non pila terrea, sed globo ferreo, non acu sed veri verũ intestina transfigam.

Sanctus Franciscus dicẽs *cum essem in peccatis*, non se criminibus atque sceleribus inuolutum accusat, sed pro sua humilitate profunda, non modò, se in peccatis, verum etiã, *& mundi totius peccatorem se maiorem esse*, dicebat. Nec inde infertur talem fuisse; notum est enim, quòd quando sic ait, Sanctus erat, si non maior, ex maioribus mundi. Quòd sit verum, responsum quòd ipse dedit interrogantibus socijs, quonam id esse modo poterat, cum in ipso adulterium, latrocinium, homicidium scelusque hoc genus aliud non erat? *Si gratias*, inquit, Franciscus, *& fauores quos Deus fecit mihi ingrato peccatori, fecisset cuicumque latroni, aut ribaldo mundi, magis gratus fuisset Deo quam ego, & melius correspõdisset, & in ipsis profecisset gratijs, & beneficijs, quàm ego correspondeo, & in ipsis proficio.* Quid Protraho? Hieronymus ad Pamachium scribens, se virginitatem exaltare, *non quòd* inquit, *possideam illam; sed quia æstimo multum eius cultores.* Ex ijs verbis (consule Magistrũ Alphonsum in eius vita) surrepsit occasio di-

cen-

cendi; Hieronymum in iuuentute sua commisisse peccatum luxuriæ. *Mà* (inquit Magister Alphonsus) *in questo s'ingannano: perche li Santi parlano à quel modo per esser humilissimi, e non dicono bugia. Come San Paolo, che disse di se, che era il minimo de gli Apostoli, & il maggior de' peccatori. Questo pareua à lui, che fuße il vero, si come egli lo diceua, hauendo consideratione all'animo suo. San Basilio ancora diceua di se: io non conobbi mai carnalmente donna alcuna; ma non per questo io mi tengo di esser Vergine. Così ancora San Girolamo parla con humiltà di Santo, reputandosi peccatore, & non dimeno per quanto egli disse scriuendo à Eustochio, pare che lui mai commettesse attualmente alcun peccato disonesto. Le sue parole sono queste. Noi non solamente lodiamo la Verginità ma ancora l'osseruiamo, e guardiamo.* Hæc Magister Alfonsus in vita S. Hieronymi, hæc & alij qui eius miracula, & gesta scripserũt. Disputet quantum velit Sophista garrulus, & dicat B. Franciscum patrasse flagitia, eo quod dixerit in Testamento, *cum essem in peccatis*. Disputet, & blateret. Non inde concludet intentum. Valeat, trinsans, & caueat Francisci chordatam. Non itaque respondit

& di-

& dixit se esse *maiorem peccatorem*, quia in sua iuuentute Baccho Veneriue indulserat; aut quia flagitium aliquod perpetrarat. Similiter quando dixit in testamento, quòd *erat in peccatis*, non dixit homicidijs, furtis, adulterijs, &c. sed statim aperuit sensum verborum istorum, dicens; *amarum mihi videbatur videre leprosos*, & quæ subdit in Testamẽto. Quodquidem dictum, de venialibus est intelligendum; vt in nostro *Floreto* discussimus; ibi enim obiectionibus plenissimè gessimus morem; ibidemq; alias (quæ non hic) assignauimus de diuturnitate B. Francisci perseuerantiæ rationes.

Probat Auctor, crimen *intelligi peccatum mortale*, peccatum *verò intelligi à Patribus Veniale.*

BEatus Franciscus, *doctus doctrice gratia*, *quem non homo docuit, factus doctus in stupore*, Patrum Ecclesiæ loquẽdi stylo vsus est. Criminis enim nomine ipsi peccatum lethale intelligunt, peccati verò nomine veniale. Patet hoc apud Athanasium, serm. 4. contra Arrianos, circa medium (vt est dictum superius)

mus) vbi ait; *multos Sanctos fuisse puros, & omnis criminis expertes.* Patet etiam apud Augustinum, vt vidimus, in Enchiridion cap. 64. dicentem. *Hominibus interdum per gratiam concedi, vt hanc vitam sine crimine transigant, licet non sine peccato.* Subiungit Suarez in 3. par. S. Thom. q. 27. art. 3. sect. 2. & 3. dicens. *Ex quo constat nomine criminis mortale peccatum Patres intelligere &c.* Multi namque feliciter absque crimine, mortali videlicet noxa, non autem absque peccato hoc est veniali iuxta Augustinum, inter mortales Diuino munere perstitere. Inferri igitur nequit ex illis in Testamento Seraphici exaratis, *cum essem in peccatis*, ipsum criminibus irretitum; eiusque purissimam atq; Sanctissimam, Dei amasiam atque dilectam animam vitio temeratam fœdatam scelere, turpatam vllo fuisse crimine. Quandoquidem, peccati nomine venialia intelliguntur, & pœnæ quoque peccati sæpissimè. Et de istis habuit Franciscus in Oratorio *Podij bastoni*, in Valle Reatina, reuelationem; teste speculo, Chronica, & conformitatibus; quæ reuelationem à Deo accepisse de suis peccatis omnino dimissis, æternæque vitæ securitate testan-

teſtantur. Si enim pro vno ſolo peccato veniali, vt legitur in exemplis, & refert B. Vincentius in quodam ſermone, annum integrũ Diuina vltio contulit cuidam animę; & ſi nõ intrabit in cęlum aliquid coinquinatum, æquum eſt credere, quòd ſi pro vno ſolo veniali anima illa anni tormenta perpeſſa, legitur; pro venialibus multis, plurium erit annorum ſuſtinenda purgatio.

Hinc eſt, quòd Franciſcus vti peccabilis, & peccator; venialia plurima, eaq; inter grauia multa forſitan (dantur enim, & in venialibus maioris, vel minoris ſubſtantię gradus) commiſerit, quorum culpę tametſi leues, pęnas traxerant, & piacula, purgatorij inquam digna flammis; ipſæ ſiquidem ea expiant, ſi in præſenti vita non fuerint expiata. Reuelatio cælica facta Franciſco, de peccatorum remiſſione, quamuis non mortalium, ipſi extitit gaudioſa; quia è veſtigio cęlum intrandi iam erat ablatus obex: & quia illuc non vſq; ſecuritatem ſuę ſalutis acceperat. Non enim cunctis Deus reuelat, & ſi magni ſint Sancti; vitam æternam eſſe illis inamiſſibilem, vt maiori humilitate ſe in obſequio gerant, in amãdo timore, & in merendo ampliori ſe habeãt incremento.

An Beatus Franciscus viderit in hac vita Deum per essentiam.

SVnt nonnulli, qui Dei potentiam, & clementiam tanquam in vtre clauderent si possent: arctareq; atque ligare suæ misericordię manus, tandemq; parcitatis vinculis munificentię brachia reuincire. Difficilè credũt fauores, & gratias quas benignitas nostri Dei concedit amantibus, confert humilibus, & quibus velit, & quomodo, nec non & quando velit, & quare. Deum videre sicuti est, in hac vita, impossibile, nec est inconueniens; neque implicat; Omitto in præsentiarum discursus, & orbes horreo cymbula fatiscente, intellectus, inquam talis ac tanti mysterij maxime credere. Altum paueo, littus aduenio: Piè (nam dulci, Deo suisque placida, glorior pietate) in alijs meis libris, almum Franciscũ per essentiã Deum attuitum fuisse disserui: Nil sanè implicat, nil absurdum, repugnat nihil aut Fidei, Pietatiue Fidei obluctatur. Repugnaret vtiq; si summè boni Dei clementiæ abnuerem tale posse; & hoc Fidei. Repugnaret inquam si tale concessisse nonnullis inficiarer; & hoc Pietati. Eximiæ siquidem

au-

auctoritatis, & literaturæ viri asserunt concessisse. Hac itaque via Patribus, imò Scripturę nutibus aduersarer, qui huiusmodi gratiam multis adscribunt, quæ Moysi, Stephano, & Paulo videtur innuere tale donum.

Piè creditur aliquos vidisse Diuinam essentiam.

VIdit in primis Deipara Virgo per essentiam Deum. Asserunt Bonauentura in Opusculo de 7. grad. contempl. Antoninus referēs Albertum Magnum 4. p. tit. 15. c. 17. §. 2. Rupertus Abbas super Cant. lib. 3. Dionysius Richelius in Dionys. de cælest. Hierar. art. 18. Ioannes Gerson Alphab. 15. tit. 8 Alphab. 88. tit. 9. Medina in 3. p. S. Thomæ q. 27. art. 5. Thomas Archiepiscopus Valentinus serm. de Resurr. & plusquam 200. recentiores. Vbertinus in Arbore vitæ, lib. 1. c. 9. asserit fauorem hunc accepisse Theotocā quando *Iesus Christus æternus Deus æternique Patris filius, incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est*, in eius visceribus. Cyprianus serm. de Nat. videtur innuere vidisse Deiparam, essentiam Dei,

quando *Iesus Christus æternus Deus, ęternique Patris filius de Spiritu Sancto conceptus, nouē- que post Conceptionem decursis mensibus in Bethelē Iudę natus est ex ipsa Virgine factus homo*

Verba Cypriani sunt hæc. *Vnde, & Matri plenitudo gratię debebatur, & Virgini abundātior gloria, quę carnis, & mentis integritatem insignis, spirituali, & corporali intus, & extra Christi præsentia fruebatur.* Antoninus aut in conceptione actiua, aut in parturitione ait vidisse, *Fortè in ipso conceptu, vel partu illi datum est ad horam, vt videret mysterium huiusmodi, vt in patria: sicut Paulus vidit Deum in raptu.* Thomas Villænouę. Resurrectionis Filij die qua ipsam, à Morte, Peccato, & Tartaro triumphator emergens, & gloriæ dotibus venustus exurgens, iure optimo primam honorator inuisit.

Moyses Deum per essentiam vidit, asserit Angelicus Thomas, & Augustinus *de videndo Deum* ad Paulinam. Nicolaus de Lyra super cap. 12. Num. ait hoc modo. *Vbi autem, & quando fuerit concessa Moysi talis visio non vidi determinatum ab aliquo Doctore.*

Esaias gratia ista non caruit; Glossa enim de ipso hæc. *Deum nemo vnquam vidit, scili-*

cet oculis carnis, potest autem quis eum videre oculis cordis, sicut vidit Isaias. Multi alij Doctores asserunt idem de Isaia; in visione illa cap. 6. diuinitatem intuito.

Dilectum Domini Ioannem Euangelistã Seraphicum, idipsum fuisse adeptum multi videntur annuere vt Mayronius, alijq; vidisse Deum in illa nocte cœnæ supremæ, atque etiam in insula Pathmos.

Paulum quoque ferè communis Doctorum consensus accedit visione Deifica potitum. Augustinus, Thomas, &c.

Protomartyrem Illustrissimum Stephanũ Maximus Taurinensis affirmat, Deum vidisse. Sed & Glossa in cap. 7. Act. *Quidam electorum in hac vita adhuc detenti, mundato oculo cordis videre meruere gloriam, vt hic Stephanus, & Paulus ad 3. cælum raptus.*

Trias illa Apostolica in Thabor monte Deum vidit quando pretiosas gloriæ suę diuitias speciosus forma præ filijs hominum Iesus aperuit; affirmant nonnulli.

Patriarcham Magnum, Benedictum Sanctum, abundantẽ vitem in lateribus Domus Ecclesiæ, Deum vidisse in raptu videtur annuere Magnus Gregorius 2. Dialogorum,

alijque moderni non abnuunt: fuisseque in vtero Sanctificatum, vt in Floreto Aluernino discussimus.

Beatus Dominicus, referente D. Antonino, par. 3. Hist. tit. 23. cap. 1. §. 1. *Dicit quidam Magister qui composuit librum magnum de Dominico valde Magistralem, quod in dicta visione posset dici Scholasticè, non assertiuè, quod tunc viderit B. Dominicus Deum per essentiã, vt Paul⁹ in raptu. Et ideo* (ecce nõ negat, nec dubitat Antoninus) *Ciuitas posita dicitur in monte Christo.* Hæc ille.

Fratem Ægidium, Socium B. Francisci essentiam Dei vidisse, testãtur Conformitates Ordinis, lib. 1. fruct. 8. Rodulphus Tossinianensis in Histo. Seraphica, addens extra corpus animam eius in raptu fuisse. Idipsum Cõformitates, & Chronica, par. 1. lib. 7. cap. 10, & 11. Idem affirmant. *Antiquitates Franciscanæ*, ibi de Frat. Ægidio cent. 3. cap. 9. Idemq; Speculum S. Francisci. Recitat etiam Chronica ibidem, quòd ex illa visione mansit Ægidius in gratia confirmatus. *In quella visione era stato ripieno de' doni dello Spirito Santo è confermato in gratia, & i merauigliosi effetti, che restarono nell'anima sua confermano questa*

veri-


verità. Idem habemus de Ruffino, de quo superius; legitur enim in libro sub titulo *Antiquitates Franciscanę*, cent. 2. c. 28. ex apparitione sibi à Christo facta confirmationis in gratia donum accepisse idipsum in Speculo S. Francisci, cap. *De virtuosa, & continua oratione Fratris Rufini*.

Piè creditur Beatum Franciscum vidisse diuinam essentiam.

NOn est Fidei, Pietati, Moribus, Ecclesię Sanctionibus eiusue decretis, aut Concilijs, nec repugnat Patrum sententijs, imò fauet, Patriarcham Seraphicum, per essentiam Deum vidisse. Magister Theologus Conformitatum lib. 2. fruct. 3. videtur innuere. *Regem gloriæ, pluries vidit, & Sanctos*. Sed lib. 3. fruct. 3. c. Franc. consignatur expresse. *In monte Abarim Moyses terram cernit Israel proximam nec ingreditur, Deuteron. 32. in mõte Aluerna, vitam ęternam cernit Franciscus sibi promissam, & de ipsa subarrhatur*. Vita æterna est Dei visio, non per imaginem aut figuram, sed realiter, & substantialiter sicuti est. Et hanc horariè, transeũter & obiter cui vult, & quãdo vult, & quantum vult, & quo-

modo vult bonitatis immensæ fons perennis, Deus Optimus atque Maximus præstat. Doctor Theologus, antiquissimus inquam Ludouicus de Prussia in suo Trilogio animę par. 2. cap. 16. expresse dicit vidisse Franciscum diuinam essentiam, non semel sed pluries, vt ex verbis suis elicitur, quæ sunt talia. *Sanctus Franciscus prout legitur lib. 2. Conformitatum fruct. 3. Franc. subleuatur. viginti vicibus raptum, & excessum mentis* (talemque fuisse testantur Historię, quod à Socijs inuētus est sæpius eleuatus in aera magna distantia super altissimas Fagos Aluernæ, & sæpe videre quasi eum non poterant, tam sublimis erat in aere) *mortalem adhuc vitam agēs patiebatur. De quo piè credendum est, quòd per raptum ad Dei Beatificam visionem peruenit; præsertim dum Seraphicis desiderijs sursum a-ctus in Sacro Monte Aluernę stigmata Dominicæ Passionis, per Christum Seraphica specie apparentem impressa suscepit.* Doctissimus Baptista Moles, in libro Prophetiarum Francisci c. 4. R. P. Antonius Dassa olim ordinis Chronista, cuius elucubrationes, tam piæ quam doctæ, spiritum quem ei Dominus communicauit ostendūt; in aureo illo de Sacris stigmati-

matibus opere, idem piè confirmat. Auctor insuper libri, cuius inscriptio est, descrizzione delle Stimmate di S. Francesco cap. 4. fol. 74. haud inficiatur. Rodulphus Tossinianensis Magister Theologus grauissimusque nostri Ordinis Chronista, lib. 2. Histor. Seraphicę asserit B. Franciscum in Monte Aluerna quum stigmata sacra recepit, *vidisse gloriam Dei, & vitam ęternam sibi promissam.* Tandemq; Doctor illuminatus Doctor Frãciscus de Mayrone serm. 1. de B. Franc. ait hoc modo. *Quartum mirabile fuit alloquutio arcana, qua qui sibi apparuit aliqua verba ei dixit, quæ alicui viuenti noluit reuelare. Vnde dicit Bonauentura: credendum sanè est, tam arcana fuisse illa Seraphica eloquia, quòd non liceret hominibus ea loqui. Sicut Apostolus fuit raptus vsque ad tertium Cælum, & ibi audiuit arcana Dei, quæ non licet homini loqui.* Prætermitto congruentias, rationes, & alia, quæ possem adducere testimonia, si quidem in Floreto diffusius.



Non repugnat Fidei, Moribus, & Pietati, dicere B. Franciscum ante Resurrectionem vniuersalem resurrecturum: non assertiuè, sed piè, & opinatiuè.

SCimus Ecclesiam Dei in Fide, & Pietate fundatam; Fidem fouet pietas, hanc Fides ipsa sustentat, & fouet. De fide est genus humanum à puluere surrecturum, & tremẽdo iudicio affuturum. Non tamẽ obstat quin ante Resurrectionem generalem, multi surrexerint, atque surgant. Quod surrexerint, Euangelium. *Multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt.* Quòd surgant, Augustinus, referente Doctore illuminato Francisco de Mayrone serm. 86. de Pascha, consid. 7. dicente sic. *Vnde Augustinus dicit, quòd est credibile in quolibet Resurrectionis Dominicæ die, aliquos Sanctos resuscitari.* Ergo nullum inconueniens est, piè dici, quòd Beatus Franciscus resurget ante Resurrectionem generalem, vt piè legitur, & piè creditur. Quia tẽpore illo, potioris Ecclesiæ necessitatis sanguinolenti sponsi spectaculis indigebit; ita vt ipsius, quo eam redemit, cruoris aspectu; Elephantis more, cor augeat; excitet animos pe-

pectus accendat, atque intrepida telorum se nimbis immisceat; terga non vertat, & suo sã guine, sponsi sanguinem tueatur. Hoc ad tale tantumque discrimen, tale tantumq; periculũ vexilliferum corpus illud, auricomis fulgens quinque syderibus gloriosis inquam Passionis monilibus venustatum, Diuino ac stupendo miraculo reseruatur intactum rectum pedibus, tractabile tanquam viuum, apertis oculis, & in cęlum fixis, recentiq; madidum sanguine ac si hodie Sauciatum. Tũc igitur ingruente pusillo Christi gregi rabie truculenta luporum, sæuiente in eum ac furiante potentia tartarorum, Franciscus Seraphicus rediuiuus ad auras, cum vexillo, *in quo est Salus, Vita, & Resurrectio nostra per quod saluati, & liberati sumus*; bellator emerget. Pium est credi, deuotum, & reri.

In Speculo S. Frãcisci, cuius meminit Posseuinus in Apparatu Sacro; quodquidem vetustissimum est, cuius editio ab anno 1504. inoffenso currit vestigio, verba hęc legimus. *Ego Frater Vbertinus Ordinis Minorum audiui à Viro Dei Corrado, & à quàm plurimis fide dignis; quòd B. Franciscus post suam glorificationem in Cęlis, reuelauit Fratri Leoni, & aliquibus*

bus aliis reuelatum dicitur; quod in hac apparitione Christus prædixit. Et dum fuit signatus stigmatibus, tribulationes sui Ordinis, & Ecclesiæ, & corruptionem suæ Regulæ; & tantam confusionem mentium spiritualium virorum, & filiorum suorum, propter impugnationem istius Regulæ, quòd ad eorum confortationem omniūque illuminationem, ipsum piissimus Iesus in corpore Glorioso resuscitaret, & ipsum faceret prædilectū paruulis suis visibiliter apparere. Quid de hoc erit, potest expectari deuotè, sed non asseri temerariè. Tamen deuotioni multum ratio suffragatur, vt sicut Franciscus fuit similis singulariter Christo passione; sic etiam conformis sibi anticipatione Resurrectionis, & maximè ad cōfortandam fidem. Hæc in Speculo vitæ S. Frãcisci, & Sociorum comperimus excussa hæc transcribimus vt deuota: credat qui velit. *Nō cogunt Astra, sed ipsa inclinant animos.* Eadem simili pariq; textura verba se habent in *Antiquitatibus Franciscanis*, Philippo Bosquiero Cęsarimontano castigatore: editis à coæuis Sancti Francisci F.F. Fabiano, & Hugelino, sub titulò *Speculo.* Centuria *3.* c. *35.* tit. *5.* *Franciscus resurget ante resurrectionem.* Ad quam nos per sua merita Iesus gloriosè perducat.

cat. Ecce mnam tui pauperculi offerentis alumni, en quem tuarum laudum gazophylatio intuli nummulum: eum accipito, Pater pusilli gregis, pauperculæ turbæ ditator, qui totus fuisti semper paupertati addictus amasiæ: Pastor ouilis huius, à truculentis belluis agitati; adsta posteris Pater *Francisce miseris*, *nam increscunt gemitus ouium tuarum.* Custodi tuereque ipsas in fortitudine brachij tui. Nam vulnerum ergo: *Habes brachium sicut Deus. Iob.* 40.

An alter Sanctus, vel Sancta penetrantia, & exteriora, vt Franciscus, habuerit stigmata.

NVllus hactenus in Ecclesia rutilat Sanctus, vel Sancta, Passionis Dominicæ pretiosis ornatus, vel ornata monilibus, vt Franciscus Seraphicus, Altissimi Regis Crucifixi Iesu signifer inclytus. Fruuntur Cęlites primaria illa, æterna atque purissima veritate, reapseque non veris nequeunt laudibus gloriari; nec indigent mendis hominum; Solum itaq; Assisias Heros Christi gerit suis impressa membris insignia: ipsiq; adaptari possent,

sent, quoad rem hanc ea quæ Lucas: *tu solus peregrinus es in Hierusalem*: nimirum hac, sub cuius vexillo militamus, Ecclesia. Peregrinus inquam fuit in hoc mundo Franciscus, suosque voluit, tanquam peregrinos, & aduenas degere filios, vt re satis vera Peregrini & aduenæ victitant, sine prædijs, redditibus, ac proprio. Hunc Peregrinum, vt historiæ perhibent, Peregrinus ille, Angelus vtique forma tali, puerperam Matrem in præsepia ducendam admonuit: ductaq; peperit Peregrinum, & Aduenam in stabulo: recensq; genitum roseo Thaù signauit in humero, idemque Angelus Peregrini specie, puellum tenuit in lauacro; ipseque per totum eius vitæ curriculum, clientulum suum Franciscum, peregrinationis comes, ad sydera vsque aurea, duxit incolumen. Peregrinus, idest singularis homo, ratione stigmatum fuit in Hierusalem militanti, de quo apte: *tu solus Peregrinus in Hierusalem*; siquidem solus ipse fert quinque vulnera Saluatoris, realia, patula, penetrantia carnem, fluentia sanguine, fixis clauis quatuor intus; portentosis inquam, ferrugineis longis, retortis, & quasi repercussis. Quæ vulnera, quos clauos, vt ex Augustino

lib.

lib. 22. de Ciuit. colligitur: ait enim Martyres cum cicatricibus Surrecturos ad gaudia. *Vt velimus in illo Regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quę pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quędam in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Hæc August.

Resurget Fräciscus, & hoc pium est, cum ipsis insignijs passi Iesu, ita B. Bernardinus Senensis in Euang. æterno, art. 2. c. 13. Doctor illuminatus Mayronius, serm. de stigmatibus: Magister Theologus Conformitatum, Vbertinus de Casale, & alij. Sed Robertum Carrezolium auctoritatis exemplo referam sic profatum. *Signis cum quibus B. Franciscus ex hac vita discessit ad vitam immortalem resurget.* Abraham Bzouium Polonum Ordinis Prædicatorum in Sacro Pancarpio Dominicali quoque adducam. *Venerandus nobis B. Franciscus stigmata Domini Iesu in suo corpore portauit, & secum illa Cęlo inferet: quibus velut stellis fulgentissimis irradians supernam Hierusalem illustrabit in sæcula.* Hæc ille. Secundum hoc, si Deus alteri non tribuerit, eo quo Francisco largitus est modo, meritò singu-

gu-

gularis, & peregrinus in illa superna Hierusalem vocari poterit, & dici Francisco, tu solus Peregrinus in Hierusalem, ideſt tu ſolus habes Chriſti ſtigmata.

Quòd Franciſcus ſit ſolus ſtigmatizatus hucuſque, patet, de cuius miraculi veritate 30. Pontificum teſtimonia, Cardinalium, atque Eccleſię Prælatorum vltra 60. Illuſtriſſimorum, qui & re literaria, & pietate admodum decumani, virorum elogia plusquam 200. fidem adſtruunt. Accedit Miſſa cum officio Stigmatum, à Paolo V. Pont. Max. pro toto orbe conceſſo, & approbato, vt extat in Officio Fratrum Minorum.

An ſint alij, vel aliæ Sancti, qui à Chriſto Stigmata receperint.

LEgitur habuiſſe ſtigmata exteriora, nõnullos, interiora vllos, nullus autem vt Franciſcus, qui & interiùs, & exteriùs Stigmata Domini Ieſu portauit in corpore, interiùs per dolores ſenſibiles, exterius per vulnera patula, viſibilia, carnemque penetrantia.

Sau-

Sancta Catharina Senensis habuit stigmata interiora.

HÆroissa Seraphica, ciuitatis illustrissimæ, ac nobilissimæ, necnon serenissimæ Senarum decor & decus, Ecclesiæque orthodoxæ Sydus auricomum, Catharina virgo, quam à iuuenta mea præcipuo prosequutus sum cultu, visiones cęlestes habuit, illamq; præsertim Crucifixi in ciuitate Pisarum, ex cuius vulneribus, intrinsecus à Deo sauciata remansit. Apparuit enim ei Christus ipsemet Iesus in raptu, & expressit vulnera sua in ipsam, & ni rogasset, ne exterius appareret, proculdubio apparuissent in eius corpore stigmata Crucifixi. Hæc est veritas, reiq; substantia accidentibus nuda figmenti. Quam omnes veridici viri, scriptoresq; veraces, ineffringibilem fide quam scriptis adstruunt, reddidere. In primis est Confessarius Diuæ ipsius, B. inquam Raymundus à Capua, qui in vita ipsius, tract. 2. cap. 6. sic fatur. *Sanè pro continuatione huius materiæ, lector bone, vnum tibi narrare compellor, quod longo post tempore accidit me presente pariter & cernente in ciuitate Pisana. Dum enim ip-*

sa illuc venisset, & quàm plures cum ea, quorum ego extiti vnus, ipsa hospitio est recepta, cuiusdam ciuis qui habitabat iuxta Ecclesiam, & Cappellam S. Virginis Christinę. In hac Ecclesia quadam die Dominica, ad eius instātiam celebraui, eamq; vt communi modo loquendi dixerim, communicaui. Quo facto ipsa iuxta consuetudinem suam, diu ibidem mansit absq; corporeorum sensuum vsu: quia spiritus eius suum Creatorem, summumq; spiritū sentiens, quantum poterat se à corporeis sensibus elongabat. Nobis autem expectantibus reditum eius ad sensus corporeos, vt quidpiam spiritualis consolationis reciperemus ab ea, sicut consueueramus, quandoq; subitò nobis videntibus, corpusculum eius, quod prostratum iacuerat, se paulisper erexit, & super genua stans, brachia extendit & manus, facie rutilante. Cumq; sic diu staret totaliter rigidum, & oculis clausis, tandem ac si fuisset lethaliter vulnerata, nobis cernentibus cecidit quodam modo, in istanti; & post paruam moram reducta est anima eius ad sensus corporeos. Post quod mox fecit me vocari, & secretò me loquens ait. Nouerítis Pater, quòd stigmata Domini Iesu, sua misericordia, iam ego in corpore meo porto. Cumq; respon-

dis-

dissem; quòd ad gestus corporis eius, cum esset in extasi, perpendissem; petiui qualiter hoc à Domino factum fuisset? At illa respondens. Dominum vidi Crucifixum super me, magno cum lumine descendentem. Propter quod ex impetu mentis volentis suo Creatori occurrere, corpusculum coactum est erigere. Tunc ex sacratissimorum suorum cicatricibus vulnerum, quinq; in me radios sanguineos vidi descendere, qui ad manus & pedes, & cor mei tendebant corpusculi. Quapropter aduertens mysterium, continuò exclamaui: Ha Domine Deus meus; non appareant obsecro cicatrices in corpore meo exterius. Tunc adhuc me loquente, antequàm dicti radij peruenissent ad me, colorem sanguineum mutarunt in splendidum, & in forma puræ lucis peruenerunt ad quinq; loca corporis mei, manus scilicet, pedes, & cor. Tunc ego: Igitur non peruenit aliquis ad latus dextrum? Non, inquit, sed ad sinistrum directissimè super cor meum. Nam linea illa lucida procedens à latere suo dextro, non transuersaliter, sed recto tramite me percussit. Et ego: sentis ne nunc in locis illis dolorem sensibilem? Illa verò, post grande suspirium, ait: tantus est dolor, quem sensibiliter patior in omnibus quinq;

locis, sed specialiter circa cor; quòd nisi nouum miraculum Dominus faciat, non videretur mihi possibile vitam corpoream stare posse cum tanto dolore; quin diebus breuibus finiretur. Hæc Raymundus ordinis Prædicatorum, qui Diuæ à secretis conscientiæ fuit, oculatus testis; à quo cæteri Scriptores veridici Antoninus, Surius, Lipomanus, & alij, velut à fonte, historiæ animam, reiq; substantiam traduxere.

Prosequitur Auctor probans B. Catharinam interiora solummodo stigmata recepisse.

IMpropriè tametsi loquar, stigmata dolores nuncupans, (stigma enim, signum & vestigium ictus visibilis est, seu signum impressionis, vt etimon Grecum tradit) hoc tamen vtor vocabulo, vt vulgari aggregem, atq; accomodem stylo scriptum. Dolores internos, etsi stigmata nequeant dici propriè, habuit Diua Senensis, eosq; stigmata ipsa vocauit, cum dixit confessario suo: *Noueritis quod ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*. Cuius quamquàm sufficit ruptę fidei, ac veritatis elogium, R. P. F. Thomæ,

mæ, alterius, arbitror, ſpiritualis eius patris adijcio: Percurri ſiquidem totū illud quod de vita Diueq; miraculis edidit volumen, refertq; Mambritius. *Cum ergo, ait, eſſet Piſis, die quadam Dominica Eucharistiam communicaſſet, atq; ſecus altare, more ſuo, in ſpiritu rapta maneret; ex quò diu ſteterat, ita ſingulariter experiri deſiderans in ſe doloris exceſſum, quem ſponſus eius in Cruce ſuſpenſus, in quinq; plagis ſui ſacratiſsimi corporis, pro noſtra ſalute pertulerit; vidit Ieſum crucifixum, magno ſuper ſe lumine deſcendiße, radioſq; ſanguineos, ex quinq; ſuis cicatricibus pretioſis emittentem: cumq; tunc videntibus pluribus vtriuſq; ſexus ipſam expectantibus, Virgo ipſa ſe facie rutilante conaretur erigere, & in genua ſua ſtans; brachia cum manibus eleuaßet, intelligendo myſterium, orauit nè in corpore ſuo cicatrices apparerent. Illico ſanguineis radijs, in ſolis radios, & lucidos immutatis, à cicatricibus Ieſu Chriſti procedentibus, & ad manus, & ad pedes, & ad cor Virginis peruenientibus, dolor non tantùm ſenſibilis, ſed intolerabilis, potius illis in partibus corpus Virginale cruciauit: quo diu rigido permanente, oculis clauſis, poſtmodum cadit in terram, ac ſi*

fuisset acerrimè vulneratum. Post modicum autem ad sensus reducta corporeos, confessori patefecit, in corpore suo stigmata Iesu Christi portare. Vnde propter doloris inualescentiam existimatum est à circumstantibus ei mortem de propinquo imminere. Dominica autem sequenti cum in Ecclesia S. Christinæ corpus Domini suscepisset, post raptum suum restituta sensibus, asseruit, sibi Dominum dolorem excessiuum gratiosè mitigasse. Ecce testimonium Thomæ, grauissimi, atq; eruditissimi Patris Cherubici ordinis Prędicatorum.

Diuus Antoninus à Florentia, 3. par. tit. 23. cap. 13. eisdem verbis euoluit ad sensum rem hanc: qui & tit. 24. cap. 2. §. 3. fatur hoc modo. *Quoddam singulare concessum fuit B. Francisco,* (ecce Phęnix, alba cornix, & Cygnus nigra) *quod nulli inter natos mulierum legitur fuisse donatum,* (benedictum: tu solus peregrinus in Hierusalem) *& hoc est impressio stigmatum sacrorum; quamuis enim Paulus dicat de se ad Galat. 6. Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto; nullus dicit quod habuerit corporaliter Paulus signa passionis in manibus, & pedibus, & latere: sed dicuntur stigmata passiones multæ, & afflictiones*

quas

quas patiebatur. Dicitur etiam de aliquibus deuotis hominibus, quòd sentiebant magnum dolorem in manibus, & pedibus, & latere, ac si haberent ibi vulnera: sed tamen non ita expressa (ecquid notius, ecquid clarius?) *corporaliter vt in B. Francisco.*

Audi inter alios Haymonem Episcopum Alberstat. in cap. 6. ad Gal. dicentem. *Et B. Apostolus stigmata siue notas ferebat, quæ pro Christo sustinuerat, quia adhuc plagæ virgarum, & lacerationum in corpore eius parebant, & quomodo catenis fuerat astrictus, & per plateas tractus, &c.*

Gulielmus Pepin. antiquissimus Auctor ex ordine Prædicatorum, serm. de imitat. Sanct. ad sensum, & verbũ Raymundi transcribit elogium, nec opus est augere volumen. Inseram tamen hæc. *Beatus Franciscus*, inquit Pepin. *suscepit cicatrices vulnerum Christi visibiliter. Beata autem Catharina inuisibiliter: tamen eam cruciantes interius vt dictum est.* Subiungit ibidem. *Beatus Franciscus fuit similis filio homini in stigmatum impressione; de Christo enim legitur, Ioannis 20. quòd cum apparuisset suis Apostolis post Resurrectionem, ostendit eis manus & latus,*

dicens; videte manus meas, &c. Sic & Beatus Franciscus tanquam pręcipuus imitator Christi habuit veraciter, & sensibiliter stigmata Dominicæ Passionis in suo mortali corpore, quod quidem priuilegium nulli inter natos mulierum legitur fuisse donatum. Et infra ait idem Pepinus. *Dicitur de aliquibus deuotis personis, quòd senserunt interdum maximum dolorem in manibus, pedibus, & latere, tanquam haberent ibi vulnera, & stigmata Christi: & tamen non ita impressa corporaliter, seu visibiliter, sicut factum est in corpore B. Francisci, & huius generis fuit B. Catharina de Senis; quę legitur rogaße Deum, vt non apparerent exterius eius stigmata, &c.* Aduertens autem Religiosis sui ordinis, hortatur vt cautè se habeant in prædicando miraculo S. Catharinæ Senensis; vt caueant dicere fuisse externa vulnera dolores illos quos ipsa interius pertulit. *Rogo ergo*, inquit ipse, *confratres meos Prædicatores, quoties contigerit illos prædicare de hac materia, sobriè loquantur; vt potè dicendo cicatrices dictæ Catharinæ non apparuisse, &c.*

Petrus de Natalibus Episcopus, ex ordine Pręedicatorum, in cathalogo Sanctorum, nuperrimè canonizatorum, hæc inter alia.

Ha-

Habuit B. Catharina plures diuinas visiones, & illam præsertim Crucifixi, ex cuius vulneribus intrinsecus à Deo sauciata remansit: quòd diceret, nisi Deus faceret miraculum, breui morituram, &c.

Chronica ordinis Prædicatorum par. 2. cap. 44. postquam factum, & modum huius rei enarrauit; asserens B. Virginem Catharinam orasse, ne permitteret Deus vt apparerent exterius in corpore suo stigmata, subdit hoc modo. Hæc est substantia suorum vulnerum, non quòd habuerit cicatrices penetrantes & sanguinolentas sicut gloriosus S. Franciscus habuit vulnus lateris, &c. Hoc sensu prosequitur Choronista doctissimus P. Hernandus de Castiglio, inter sui ordinis antiquarios, primarius vtiq;. Vnde patet Diuam Catharinam non habuisse nisi dolores internos, non autem externa penetrantiaq; carnem vulnera.

Surius, Lipomanus, & alij graues Auctores idem asserunt, vt patet in eorum legendis. Quin etiam Robertus à Licio Episcopus, qui pręsens fuit, & in occasione concionis postmeridianæ apud Mineruam, ab eo factæ, omnia processus acta lustrauit, pera-

grauit

grauit miracula, explorauit omnia quæ in actibus canonizationis eius descripta erant. Ipse itaq; in serm. de S. Cathar. ait; *In plerisq; locis ex visione prędicta nonnulli S. Catharinam suscipientem stigmata à Christo, depingi fecerunt: Qui si ea intentione id egerint, vt per visibilia inuisibilia cognoscantur, & per picturam illam visibilem, dolor eius inuisibilis, sed sensibilis designetur, fortè (non obstante errore inde sequente, quo credi posset, stigmata eam visibilia suscepisse) tolerari vtiq; poßet, sed hęc si facta sunt, vt sic æquiparetur B. Francisco, cui soli, vsq; in præsens, singulari modo stigmata diuinitus sunt impressa, vtiq; reprehensibile est, &c.* Prosequens Antistes idem infra sic fatur. *Ego peccator, qui hunc sermonem confeci, sanctam ipsam deuotione qua possum, & colo, & veneror: eamq; Romæ, an. Domini* 1461. *an.* 3. *Pÿ Pont. Max.* quando Pontifex præfatus, Spiritu sancto volente, Sanctam Catharinam, solemni celebritate canonizauit; nulla tunc à referentibus & vitam, & miracula Catharinæ, de stigmatibus facta est mentio: nulla pictura cum stigmatibus fuit delata, nulla insuper in Bulla, quàm superiùs frequenter allegauimus, de stigmatibus mentio habi-

ta est. Ego insuper eo die canonizationis, sermonem ad populum habui post prandium in Ecclesia Mineruæ ordinis Prędicatorum; inspexi, & legi, & quidem sępius omnia, quæ scripta erant de laudibus huius sanctæ, nihil aliud inuenire potui, nisi quod superius expressum est de illo dolore, quem tulit absq; signis, in suo extatico raptu: etsi nomine stigmatum, dolorem illum intelligi volumus; non tamen in illo continentur, & includuntur conditiones miraculosorum stigmatum B. Francisci. Hęc Episcopus Robertus; qui etsi Franciscanus dignus est fide, tum quia vidit eiusceq; oculis omnia perlustrauit: tum quia si adhibenda est fides Prædicatoribus in propria causa, vt adhiberi prętenditur, quid ni extero?

Prosequitur Auctor probans non nisi interiores dolores Diuam habuisse.

FIdelissimus testis, est Breuiarium Romanum correctum ac reformatũ sub Clemente 8. nec infirmum confert robur: dum ab eodem Pontifice demandata est reformatio & correctio Breuiarij Romani ipsius, Illustrissimis, & Reuerendissimis DD. Cardi-

nalibus

nalibus Antoniano, Baronio,& Bellarmino, in historia, rebusq; Ecclesiasticis, Decumanis, nec tamen, alioquin pij, doctiq; fundamentum inuenerunt, Beatę Catharinæ stigmata in 9. lectione quam ipsi de Sancta ediderũt, sufficiens asserendi. Vnde lectionem ipsam (vt extat in manuscripto Breu. Vallicell. quæ incipit Catharina virgo Senensis Instituti S. Dominici, quod de pænitentia dicitur, eiusq; fidele exemplum, apud admodum R. P. Fr. Lucam Vaddingo optimè meritum Franciscanum, in re literaria vniuersalem asseruatum) edidere, quin tantillum mentionis agerent de stigmatibus. Accedit sub Pio 5. Pont. Max. instituti & professionis eiusdem ordinis Prædicatorum, reformati Breuiarij fides; quandoquidem in eo de ipsis prętensis vulneribus nec somniatum. Accedit auctoritas illa cæterarum arbitror antesignana, Bullæ canonizationis eiusdem Diuæ, in qua omnia & singula, minutissima quoq; Diuę miracula, & actiones heroicæ à Relatoribus Commissarijs deprehenduntur inscriptæ; quin de stigmatibus iota legatur. Pius Pontifex Senensis patria, diligentia tota qua potuit, omnia cumulauit,

uit,

uit, cuncta collegit, & in Bulla §. 10. sic: *Commissarij per annum, &c. Rem discutientes inuentis processibus antiquis apud Venetos, & adhibitis, & examinatis de nouo testibus, & sũma cum diligentia cunctis ponderatis; cum seorsim inter Cardinales tantùm omnium quæ inuenerant veracem nobis relationem fecissent: ac demum per aduocatum, ea quæ nobis exposuerant in publico consistorio denuò recitari curassent. Postremò conuocatis in aula nostra Romæ vniuersis, qui tunc erant in Curia, præsentibus, &c. Iterum præfati, per organum venerabilis fratris nostri Gulielmi Episcopi Portuensis* (Is fuit primus Commissariorum) *rursus cuncta quæ inuenerant, & rite probata videbantur, coram explicauerunt, &c.* Consule Bullam, in qua nec vestigiolum inuenies de stigmatibus.

Ab exemplo deducitur.

Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, & cum ipso Ecclesia, Periodos Pauli, & Theclæ, ac totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas computant, quia Lucas non meminit. Ita siquidem legimus in

in lect. 5. offic. S. Lucæ, 18. Octob. *Igitur Periodos Pauli & Theclę, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas cõputamus. Quale enim est, vt indiuiduus comes Apostoli inter cæteras eius res, hoc solum ignorauerit?* Similiter dico de exterioribus Sanctæ Catharinæ vulneribus: Quale enim est, vt rerum omnium Diuæq; singularum explorator, & conscius Raymundus à Capua eius Confessor, inter cæteras eius res, hoc solum ignorauerit? Quale quæso est, vt Lynces illi Commissarij circumspecti Argoes, hoc vnum omiserint inspectandum?

Hinc satis superq; liquidò constat nõ habuisse, Diuam Catharinam visibilia stigmata. Vnde quoquot ex fide aliorum scribunt, totum pondus, & robur suæ narrationis in eos reducunt, à quibus primum rei veritas deriuatur. Quidquid autem deinceps adijcitur, in argumento est, & fide caret; cum aliunde nullum fulcimentum sortiri possit, quàm ab ijs qui rem ipsam primùm tradiderunt. Testimonium enim ex auditu tantùm valet, quantùm auctoritas eorum, à quibus rei prima fama propagata est. Inde, quotquot veritatem stigmatum B. Catharinę Se-

nensis

nensis affirmant, ad vnum se referunt, scilicet Raymundum Capuanum Confessarium Diuę: Ipse enim omnigenam, atq; omnimodam rei veritatem examinauit, calluit, penetrauit & sciuit, cunctisq; postmodum patefecit, & scriptis consignatum cunctis Fidelibus reserauit. Non est igitur audiendus qui a Raymundo variat, dum ipse huiusmodi veritatis extitit organum.

Carpit Auctor modestè aliquos qui visibilia, & penetrantia vulnera tribuunt ipsi Diuæ.

Religioso me geri fas more; modestèq; tantę eruditionis Viros, vt sunt Reuerendissimus Pater Lucas Castellinus, nunc Antistes, & admod. R. P. Gregorius Lombardellus, qui S. Catharinę Senensi vulnera patula tribuere, in discussionem adducere. Et vt ab vltimo incipiam; ipse in 1. par. Summarij de stigmatibus S. Catharinæ; specialim cap. 10. par. 2. cap. 1. & 2. & in fin. cap. 13. 15. alibiq; asserit, *Beatę Catharinæ inuisibilia stigmata fuisse per miraculum, & hoc tantùm in vita; in seipsis tamen realiter pene-*

tran-

trantia; at in morte, inquit, ab omnibus visa. Refert etiam 2. par. disput. de stigm. cap. 10. Epistolam, *à quodam Patre Fratre Antonio, Priore Mineruæ Conuentus, tum scilicet, quum Serua Dei extremum mortalitatis diem feliciter clausit, scriptam B. Raymundo de Capua; dicente ipso Priore, se vidisse vulnera patula Diuæ, patuißeq; omnibus qui ea videre curarũt.*

Respondetur Primo.

TAlis ac tanti Patris gratia dico, difficile, ne impossibile creditu esse quod asserit. Nec ipsum mendacio taxo, sed epistolæ illi incautam fidem accommodasse: Non enim potuit esse veram: cum seruus Dei Raymundus postquam electus est Felsinę Generalis Magister Ordinis, Romam petijt, cunctaq; ad Acaria vsque, quę in & post Diuæ decessum cõtigere, non modò rimans examine, sed scriptis æternans, ipse vti Ordinis caput & Princeps, exegit. Minima literis consignauit, auctorauit, & irrefragabili fide muniuit, quo queso pacto, maxima prętermisit? Quonam obice interclusæ res maioris momenti.

Respon-

Respondetur Secundo.

CVnctis patuit, vnum latuit Raymundũ, & hunc Generalem, & Principem ordinis? Et hunc à secretis conscientiæ Diuæ? Minuta singula redegit in fidem, prodigium inclytum illud, stigmatum inquam magnale portentum sub modio? Sed nec alij grauissimi atq; antiquissimi Scriptores, Antoninus, Surius, Lipomanus, Petrus de Natalibus. Chronica Ordinis tam singulare miraculum celebrarunt. Cur alto silentio suppressere?

Respondetur Tertio.

SI vera fuisset Epistola Prioris Antonij, sicq; verè Raymundo transmissa, meminisset vtiq; Raymundus; imò cum ipsis oculatis testibus, qui stigmata conspexere, ipse transtulisset in acta: aut saltem in suis scriptis ipsam epistolã nominasset, quin & rem quoq; : ne tanti miraculi fides periret.

Respondetur Quarto.

SI populus in Minerua ipsius Diuæ videre stigmata iam defunctæ; aut redacti


M sunt

ſunt teſtes in acta, vel non. Si ſic: quorſum hæc acta nunquam producta ſunt: flagrante maximè controuerſia ſub Sixto 4. alijſq; PP. quibus viſis atq; probatis nullus eſſet altercatui locus? Si non: quomodo ergo alia, etiam minima æternitati tam ſedule conſecrarunt, & ſcriptis tam non ingloriè conſignarunt? Chimerica igitur fuit Epiſtola illa.

Neq; in re tam ardua, graui, & Eccleſiæ concernenti honorem: neq; in re tam clara & peruia hallucinatio potuit eſſe, vel negligentia: cum nihil hactenus obluctans, quod ad ſuę cauſæ patrociniū faceret, pars omiſit.

Reſpondetur Quinto.

AVctoritas ſerui Dei, talis ac tanti Religioſi dignitas Raymundi, Confeſſarij Virginis, pręualet recens dictis: Scriptorum caterua tantæ fidei, teſtimonio tanto fit cernua, demptis paucis, qui plebeculæ leuitati ſeſe aptantes à primo veritatis tramite diuertere.



Pro-

Prosequitur Auctor, ostendens, quam inìè aliqui de B. Cathar. stigmatibus iactent.

REuerendissimus Pater Lucas Castellinus, opusc. de stigmat. S. Catharinæ, resp. 4. pag. 238. col. 2. *Octo annis ante obitum gestasse realia, & penetrantia stigmata Diuam ipsam: & quod magis sit mirum, asserit ipse, quòd ipsa stigmata S. Catharinæ solùm fuisse diuersa & dissimilia Franciscanis stigmatibus, in eo quòd fuerint inuisibilia per miraculum, & quòd non habuerint in se formam clauorum expressam, neq; sanguinem emittebant.*

Responsio.

SEriò tale dixississe diffiteor tantum virũ, talem Theologum; quod si verè id fatus: oppono quo ad annos octo, dies octo solos doloris, quibus elapsis dolor euanuit. *Dominica sequenti* (ait B. Raymundus Confessarius Diuę) *libera fuit à dolore illo interiori, quem amplius non est passa.* Idemq; tract. 3. *Singularem & continuum dolorem habebat in pectore, vt ipsa mihi confessa est dicens, quòd ex illa die, qua Saluator eam fecit penas suæ sa-*

cratissimę Passionis gustare, remansit sibi dolor ille pectoris. Nec potest dicere Castellinus, quod dolor iste sedatus, non præiudicat habuisse vulnera ipsa realia, insito ijs dolore: elabi non potest neq; effugere; quia iam ipsemet Raymundus expresse dixit, non nisi interiores dolores sensisse; subiungẽs quòd sequenti Dominica libera fuit, & quod amplius non est passa: Ergo si solos dolores habuit interiores, & ab ijs sequenti Dominica libera fuit, Castellinus octo annorũ spatium duxisse cum plagis nequit asserere; proclamante Confessario Diuæ, totq; grauissimis, & antiquissimis Viris oppositum; Antonino scilicet, Surio, Lipomano, Pepino, Thoma, Sixto 4. Chronica Ordinis, &c.

An assertę vllæ sint veræ reliquię Beatę Catharinæ Senensis: nec ne?

CAstellinus sectione 2. bina refert instrumenta; vnum sanctissimi Crucifixi à ciuita Pisana, ad Confratres S. Stephani Senarum anno 1565. Aliud est cuiusdam pedis cum stigmate, asseruati in quodam Monasterio: quod est tale. *Hanno fatto fede, & han-*

& hanno attestato qualunque vedrà il presente publico instrumento essergli stato mostrato alla presenza di Iseppo Alcuino, del Monasterio di . . . . . & hauer veduto in vn tabernacolo grande d'argento lauorato di verde, e d'oro col suo cristallo, vn piede destro, che detto Padre Frate Iseppo dice essere di Santa Caterina da Siena. L'inscrizione di sopra, che dice. Pes B. Catharinæ de Senis, *con l'imagine sua d'argento in cima d'esso tabernacolo, in mezzo del qual piede esserui vn segno ouato, che pare siano stimmate.*

Gregorius Lombardellus (& ipsemet Castellinus refert) testatur in suo opusculo: *Se vidisse in quodam alio Monasterio manum S. Catharinæ de Senis cum stigmate impresso in forma quadrata, penetrante de parte in partem.* Hæc Lombardellus & ille.

Adducit Auctor rationes aliquorum, vt post modum suam statuat opinionem.

Ratio I.

QVi dictorum Lombardelli, & Castellini mirantur asserta, multa objiciunt,

ex quibus hęc solùm hìc inseram, vt inde meam sententiam conflem. Quantum ad Crucifixum (respondent ipsi) translatum Senas, esse illum qui plagas impressit Diuæ, non cohærere cum historia facti in persona B. Catharinæ miraculi: ait enim ipsa Sancta historia, & Confessarij fide testante. *Vidi Crucifixum super me magno cum lumine descendentem, &c.* Non igitur erat, qui stigmata impressit interius imago illa Crucifixi, sed ipsemet Dominus Iesus in raptu extatico Sponsæ suę. Poterat quidem ipse formam illius imaginis assumpsisse; sed Sancta non exprimit de imagine, sed de Christo ipso, quem cęlitus magno cum lumine descendentem vidit. Huic me subscribo sententiæ, quia tutius est credere historiæ, & verbis Diuę, quàm Vulgi.

Ratio 2.

QVantum ad pedem cum signo ouato, quem refert Castellinus, & manum transfixam, quam refert Lombardellus, etiam ij, quibus non lippiunt oculi, acutissime penetrant falsitatem, non ex parte

Scri-

Scriptorum referentium; sed ex parte ple-beculæ sic putantis. Pugnant enim inter se hæc stigmata, nempe manus, & pedis: ouatum vnum & non penetrans carnem; quadratum aliud stigma, & de parte in partem penetrans carnem. Difformes ergo plagas impressit Christus? Penetrantes manibus, non penetrantes, sed superficiales ouato signo pedibus, & quidem radij ex cicatricibus Crucifixi transmissi vniformes erant, difformem effectum quo pacto causarunt?

Ratio 3.

OPorteret (aiunt illi) fidem habere, veras esse reliquias B. Catharinæ: & illa si quæ sunt stigmata (nulla sunt enim vt ipsamet manus, & pes testantur) non arte, sed Diuinitus fuisse facta probari. Illud siquidem in argumento est; hoc nõ constat; imo contrarium: quia Decretales Pontificum, historia facti, testimonia Confessarij Sanctę, totq; grauissimorũ Virorum scientia, & sanctitate pollentium, ipsorũ stigmatum fidem eneruant: non enim habuit nisi dolores internos. Vnde concludunt manum illam

& pedem illum esse forte B. Catharinę, non autem stigmata.

Ratio 4.

TEstimonium illud ex instrumento adductum nullius substantię dicunt esse, fundatum est enim tantummodò in verbo illius Fratris Iseppi: nec ipsi potiùs Iseppo, quam B. Raymundo, S. Antonino de Florentia, Sixto 4. Episcopo Portuensi, Guilelmo Pepino, Chronicæ Ordinis, Petro de Natalibus, Surio, Lipomano, & reformatoribus Breuiarij sub Clemente, & Pio, credendum.

Ratio 5.

DVbitant ipsi de illius pedis, & manus abscissione à corpore Diuæ: nō enim legitur, nec vllibi quibus testibus, & qua fide firmatū, abscissas fuisse partes hasce corporis sancti: neq; per quem sit harum Reliquiarū facta translatio, & depositio, cuiusue Prælati iussu, & auctoritate. Neq; in re tam graui, & maioris diligentiæ verisimile est, facti

facti memoriam, non fuisse vt opus erat, obseruatam.

In harum siquidem Reliquiarum translatione, & expositione Canon. Ecclesiasticus prætermitti non debuit, nec periculo, & errori danda occasio. Tridentinum, Can. vlt. statuit, & præcipit, *nulla admittenda esse noua miracula, nec nouas Reliquias recipiendas, nisi recognoscente, & approbante Episcopo: qui simul ac de ijs aliquid compertum habuerit: adhibitis iu Concilium Theologis, & alijs Viris, ea faciat quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit. Quòd si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de ijs grauior quæstio incidat, Episcopus antequam controuersiam dirimat, Metropolitani, & Comprouincialium Episcoporum in Concilio Prouinciali sententiam expectet. Ita tamen vt nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, nouum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.*

Dubitant ipsi, de veritate huiusmodi Reliquiarum, tum quia nuperrimè comparuerunt post Concilium Tridentinum, & non constat de ipsarum approbatione: cũ etiam, quia B. Raymundus de Capua, Generalis Mini-

Minister Ord. attestatur, corpus Sãctæ fuisse integrum, atq; depositum sub ferrea crate, propter concursum populi tribus diebus. *Translatum est eius corpus ad Sanctã Mariam de Minerua: & cum ex tanto concursu populi timeretur, ne aliquam iniuriam pateretur; illud sub ferrea crate in sacello S. P. Dominici depositum est; vbi tribus diebus expositum fuit concurrentibus Fidelibus cum magna veneratione ad oscula manum eius, & pedum.* Hæc Raymundus. Vnde ipsis augetur dubium, de abscissione pedis, & manus illius, & de stigmatibus illis assertis, in signo ouato pedi, & quadrata plaga manui; penetrante hac, & non penetrante illa, nisi signo quodam super faciem pedis. Deducunt itaq; tunc abscissionem istam factam non esse: quandoquidem, teste Raymundo, adhibita sit custodia, & sub crate ferrea positum corpus ne ex populi cõcursu iniuriam aliquam pateretur.

Ratio 6.

NEq; huiusmodi pedis, & manus excisio in translatione sancti corporis B. Catharinæ fieri potuit: Siquidem, aiunt, corpus

pus ipsius totum incineratum fuisse repertum, superstitibus ossibus probant, cũ S. Antonino, sub quo facta est ipsa translatio, dum ipse apud Mineruam Prioratus officio fungeretur, anno Domini 1430. Cuius verba subijciunt, & sunt hęc. *Post honorificam eius sepulturam in Conuentu pręfato Sanctę Marię supra Mineruam; me tunc in dicto Conuentu, existente Priore, translatum est corpus dictæ Virginis circa annum Domini 1430. in eadem Ecclesia, ad locum eminentiorem, in Cappella iuxta minorem Cappellam existente, & collocatum in sepulchro marmoreo; quod incineratum erat ossibus remanentibus. Nec incineratio ipsa arguit minorationem sanctitatis eius, cum & corpora Apostolorum, quibus nullos Sanctos credimus in merito, & præmio excellentiores, incinerata inueniantur. Præseruatio autem integritatis cadaueris accidere potest, aliquando naturaliter, & ex siccitate complexionis, talis personæ defunctæ; vel influxu cęlesti, vel ex qualitate loci, &c. Aliquando verò & communis ex speciali priuilegio concesso Diuinæ virtutis conseruantis illud. Nec est rationem assignare cur magis istud, quam illud Deus voluerit præseruare, nisi voluntatem suam.*

Si

Si pes ille, & manus superstitissent, proculdubio Antoninus meminisset, & exemisset ipsam manum, & pedem, vti miraculo præseruatos à corruptione. Vt factum legimus de lingua B. Antonij de Padua, quæ integra & recens reperta est, incinerato corpore reliquo, nudis ossibus. Et de capite ac cerebro S. Bonauenturę, & S. Ludouici Toletani, & aliorum: quę omnia in memoriam reseruata sunt, & scriptis vtiq; consignata, quando inuenta sunt; locus, tempus, testes, & modus inuentionis.

Auctoris sententia circa prædicta.

RElliquias illas pedis & manus, nec annuo, neq; abnuo esse veras. B. Catharinæ, remitto hoc Prælatis quorum est munus & onus Religionis & cultus, rebus consulere, & inuigilare. Inclino me tamen potius ad annuendum, quàm renuendum, veras esse reliquias Diuæ: non enim est verisimile ipsas in principio fuisse expositas nisi seruatis seruandis; Nego tamen stigmata illa, sibi pugnantia, ouatum vnum, penetrans, & quadrum alterum; nego ipsa, tanquam Histo-

Historiæ facti, Confessarij Diuæ, Sixti 4. & plusquam 30. grauissimorum Virorũ obstantia fidei. Quin etiam manus (ipsamet teste) non habet in palma foramen, nisi ad oram, iuxta pollicem, signum à carnis exiccatione contractum, siue vermis terebratione, seu tandem alio casu (non quidem Diuinitus) effectum. Quod sit verum videatur quæso ipsa manus, & credetur quod aio. Vnde Patres illi qui referunt, incuriæ magis quàm mendi argui possunt. Pes ille, etsi B. Catharinæ sit, stigma non habet vllo modo, vt ex eisdem verbis instrumenti à Patre Castellino citati, liquet: ait enim: *Efferui vn segno ouato, che pare siano stimmate*. Videte quantum sonat verbum illud, *pare*.

An liceat alium Sanctum, vel Sanctam cum stigmatibus depingi.

Notabile 1.

ANtequam ad conclusionem deueniamus operę pretium est aliqua pręnotari. Sitq; primum, quod Tridentinum de Sanctorum Reliquijs, & sacris imaginibus

ex

ex antiquo dogmate prçcipit, sess. 25. can. 1. *Docendum inquam esse populum ex sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solùm quia admonetur populus beneficiorum & munerũ, quæ à Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos, miracula & salutaria exempla oculis Fidelium subijciuntur, &c.* Ergo vsus imaginũ ad nil aliud tendit, quàm ad finem, vt effigies ipsę nos instruant de vita, Sanctorumq; miraculis; ad finem quoq; cultus, imitationis, & gratiarum actionis. Ast ne vlla subsit errore deceptio, Ectyparum imaginum est ad prototypicas requisita conformitas, quarum præferunt instar. Vnde Tridentinum idem, Can. vlt. *Statuit, nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, insolitam vllam imaginem ponere, vel ponendam curare; nisi ab Episcopo approbata fuerit, &c.* Quæ iure merito ad submouendum falsi cultus periculum, & errorem, ordinata sunt. Quia siue sit falsus ex parte rei significatæ, aut significantis, aut ex parte colentis; est peccatum mortale, nisi inuincibilis excuset ignorãtia. Falsitas enim in materia Religionis est res grauissima, & periculosa, teste August. lib. de mendacio: & do-

& docet Caietanus 2. 2. q. 93. art. 1. Nauarrus cap. 11. Valen. 2. 2. disp. 6. q. 10. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 2. Lessius lib. 2. de iust. & iur. cap. 43. Sayrus, *in Claui Regia*, lib. 4. cap. 4. Armilla, & omnes Doctores.

Notabile 2.

PRopterea re satis vera peccaret grauissimè, qui Deum Optimum Maximum colere vellet per cæremonias legis Iudaicæ, quæ Christi Euangelio promulgato, cessere de medio, & non nisi falsum futurorum mysteriorum figure continerent significatum: Ad paritatem huiusmodi, iam iam ferè arbitror, qui falsas imagines, Reliquiasue proponeret, peccaret grauissimè, & spirituali, tremendæ inquam excommunicationis iaculo, occumberet fulminatus interitu. Idq; sanè idcircò, quia huiusce falsi cultus pernicies, veram miraculorum fidem eneruat, purissimæq; in alijs veritatis splendorem obnubilat.

Quibus submouendis periculis Ecclesia mater veritatis & matrix, tot solemnitates,

exa-

examina, & inquisitiones instituit, circa Sãctos, priusquàm eis honores cęlestes adscribat, maturè præmitti. Non enim vnquam ipsa figmentum vllum in rebus fidei, Religionis & cultus admisit, neq; admittet; quia portæ inferi nõ præualebunt aduersus eam.

Notabile 3.

DVo imaginũ genera reperiuntur; quędam quæ, per formalem repræsentationem, & similitudinem, vt sunt Sãctorum effigies, prototypum continent: quædam verò, quæ ad quãdam metaphoram, & proportionem, tantùm repræsentant prototypum, vel sub aliqua specie, quam aliquando creditur assumpsisse; & sic spirituales res per sensibilem picturã designantur; vt Deus Pater in forma Senis, Spiritus sanctus, Columbæ, Christus in forma Agni.

Notabile 4.

OMnis imaginis vsus, siue quoad memoriam, siue quoad cultum, inseparabilis est à suo prototypo; si prototypus nunquam

quam subsistit, falsus erit eiusq; deceptorius vsus, in errorem quidem ducēs per modum falsi signi repræsentantis rem aliter quàm fuit; vt recte Nissenus oratione de S. Theodoro, *solet enim*, fatus, *etiam figura tacens in pariete loqui.* Et Gregorius lib. 9. epist. 9. *Quod legentibus scriptura, hoc idiotis pictura.*

Notabile 5.

PIcturæ illæ, quæ per allegoriam & metaphoram, vt ita dixerim, repręsentant, quando subest periculum erroris, aut falsi cultus, aut deceptionis, non licent. Hinc de consec. dist. 3. cap. Sextam: videtur Christus non depingi ex auctoritate Sextæ Synodi, in forma Agni, Præcursoris digito monstrari, sed in forma humana; qui est Canon. 82. Sextæ Synodi. Iuxta hoc intelligunt Angelus, Syluester, Armilla, Miranda, & alij Summistæ. Hac etiam ratione ob periculū falsæ significationis & cultus, Damascenus lib. 3. Fid. cap. 17. & orat. 1. de imag. citans Gregorium Nazianzenū, item Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. circa princip. & lib. 6. circa finem; Theodorus

N Pa-

Patriarcha Constantinopolitanus in epistola Synodali, quæ habetur Sexta Synod. act. 3. August. lib. 4. de ciuit. cap. 21. docent Diuinitatem non esse depingendam, aut figurandam corporaliter: *Inuisibilis est Diuinitas nec depingi, nec figurari se permittit*; ait Synodus 6.

Secluso tamen errore, ad designandam proportionē, & speciem, qua in sacra Scriptura dicitur apparuisse tam Deum, quàm Angeli; eorum imagines approbantur Ecclesiæ consuetudine, Patrumq; auctoritate, vt patet ex Synodo 7. act. 2. & 3. alijsq;, vt Fusius probant qui hoc in argumento contra Iconoclastas versantur. Optimè tandem Cardin. Caietanus admonet; *Imagines istas non esse ad libitum depingendas, neq; priuata cuiuscunq; intentione, aut inuentione inducendas; sed iuxta modum in Ecclesia receptum; vel vt in sacra Scriptura, & in modis, quibus Deus apparuit, fundamentum habent*. Vnde S. Thomas 3. par. q. 25. art. 3. *ad primum*, notat: *ante incarnationem vel nullas, vel raras fuisse inter Fideles, imagines Dei; quia nondum Deus apparuerat in forma humana, neq; in alia, in qua commodè depingi posset*.

Opor-

Oportet igitur vt ſic pingendi ſit fundamentum & vſum receptum, & approbatum ſignificandi, quo tollatur error, aut ſubmoueatur occaſio periculoſi erroris, cadens in rudes, vt monet Tridentinum, ſeſſ. 25. *de inuocatione & venerat. & rel. ſanct. & ſac. imag.* his verbis: *in has autem ſanctas & ſalutares obſeruationes, ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit: ita vt nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſiones præbentes, ſtatuantur.*

Notabile 6.

PEriculoſi erroris cenſetur occaſio, quæ in ſuperſtitionem, & errorem ducit, & quę derogat auctoritatem, & fidem miraculis Sanctorum, doctrinæ publicæ, receptiſq; hiſtorijs, nec non prędicatoribus, in quibus mendacia etiam leuia, ex materia in doctrinalibus, ratione documenti, docet Scotus, & alij, eſſe graue peccatum: quia tollit auctoritatem ipſorum in cæteris. Quantò magis in proponendis miraculis minimè veris, perniciosum erit?

Notabile 7.

EX antiquissima consuetudine, approbatoq; Ecclesiæ vsu, imaginum significatio petenda est; non ex quorumdam inuentione priuata. Ecclesia verò in significatione formali imaginum vsum consueuit admittere. Interpretatio siquidem, signiq; vsus in cõmuni vsu, & acceptatione fundatur. Qua ratione in contractibus, instrumentis, decretalibus, edictisq; verbi proprietas, ex cõmuni vsu, non priuata huius, vel illius substituta intentio attenditur. In militaribus item exercitijs, in cæremonijs, & cultu Religionis, per externa signa non admittitur communiter, nisi quod auctoritate indictum est; vt patet ex Tridentino, de sacramen. in genere, can. 13. quo definitur non licere approbatos, & Ecclesię ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi cõsuetos, pro libito posse omitti; aut in nouos per quoscumq; Ecclesiæ Pastores. Idem etiam censendum in reliquis actibus vrbanitatis, & communionis humanæ, salutationibus, detectione capitis; & in alijs quę interpretationem ex communi, receptoq; nõ autem ex priuato, recipiunt vsu.

No-

Notabile 8.

VSus imaginum, quibus Sanctorum vita, & miracula depinguntur, & repræsentantur, est in finem cultus, Religionis, & imitationis; & ob eum solum permissus admissusq; in Ecclesia finem. Vnde Tridentinum sess. 25. loco citato, præcipit; *nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem.*

Conclusio 1.

SAnctus, vel Sancta, qui stigmata vera, & realia non habuit, cum stigmatibus depingi non licet. Quia imago suum prototypum referre debet, quo non subsistente, imago erit falsa: non subsistunt penetrantia, realiaq; vulnera in re per imaginem significata, ergo non possunt absq; mendacio pingi: dicente alma Synodo sess. 25. *De inuocatione, &c. Honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illę repræsentant.* Sed prototypa sunt Sancti, ergo honos refertur ad illos, igitur eris verus, & non falsus; qui si falsus,

iam non honor. Vnde Ecclesia patitur nunquam tales fictitios Deo, nec Sãctis honores referri. Nec potest dici vera imago, illa quæ verè suo prototypo non cohęret, significat, & repræsentat: vt ex dictis clarissimè patet.

Conclusio 2.

CVm bina sint genera imaginis, vt dictũ est notab. 3. Dolores interni pingi non possunt eo modo quo realia, & penetrantia vulnera depingũtur; quia nõ nisi per formalem repręsentationem, non metaphoricam, & symbolicam, Ecclesia picturas admittit. Si autem res spirituales, vt Deus Pater in forma Senis, Spiritus sanctus in forma Colummbæ, dolores Virginis in forma gladiorũ, Angeli in forma humana, &c. depingi solent; non iccircò possunt insolita pingi in significatione symbolica, ob periculum erroris in cultu. Reseruauit sibi Ecclesia institutionẽ, & approbationem imaginũ, vt patet ex Tridentino, scilicet de imaginibus nouis insolitis, approbandis per Episcopum; aut sub orta difficultate, &c. cum consensu Summi Pontificis: omnia patent ex dictis.

Con-

Conclusio 3.

DAto quod pictores, seu deuoti, auctoritate propria, inducere possent vsum imaginũ symbolicarũ; nequaquam liceret, nisi imaginẽ hac ratione depingant, vt error posset omnino vitari: diuerso .s. modo ab eo quo efformãtur illę quibus ex Ecclesiæ vsu, acceptatione & reprobatione cõuenit significare externa & patula vulnera. Quia sicut in vocibus, & alijs signis ad placitum, analogum sine limitatione positum stat pro celebriori; & terminus pluralis, aut multiplex, similiter ex sui natura significat & respicit plura nisi ex adiuncto ad vnum limitetur: ita in proposito imago illius Sancti, vel Sanctę, qui non habuit stigmata patula, depicta vniformiter quantùm ad vulnera, cum imaginibus Domini Iesu Saluatoris nostri, & Sãcti Francisci, sine vllo discrimine ex vsu recepto, & fundato in consuetudine Ecclesiæ, semper significabit stigmata patula; vel tanquam famosiorem significatum, ex potiori & magis nota institutione proueniens auctoritatis publicæ Sedis Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ, quæ particulari præfertur:

vel certè vt æquiuocus terminus sine limitatione, ac promiscuè significabit, & consequenter imperitos & rudes in errorem facillimè ducet.

Conclusio 4.

BEata Catharina Senensis depingi non potest cum stigmatibus per metaphoricam vel symbolicam significationem, quia Ecclesia nondum eiusce picturam admisit: Neq; per formalem repręsentationem, quia non habuit stigmata exteriora penetrantia carnem, vt innuit Sixtus 4. in suis Decretalibus; qui in ea quę incipit, *Spectat ad Romani Pont.* expressè ait non habuisse stigmata dicens. *Et vt creditur sine rei veritate*. Innocentius 8. Gregorius 13. Asserit ipsa Diua, teste Raymundo Confessario suo: affirmat Thomas in eius vita, refertq; Mombritius: adstruunt Laurentius Surius, Aloysius Lipomanus, Petrus de Natalibus, Chronica Ordinis; innuunt Antonianus, Baronius, & Bellarminus Cardinales, in reformatione Breuiarij sub Clemente 8. Asserit Pepinius, Didacus Mas Cathedraticus Vniuersitatis Valen-

Valentię in suo opusculo, omnes grauissimi Patres Cherubici ordinis Prædicatorum, & tandem B. Antoninus à Florentia cum alijs vltra 40. vel 50. doctissimis, atq; grauissimis Viris.

Conclusio 5.

PRoibente Ecclesia, res ardua est obniti, & reluctari; prohibuit Diuam ipsam cũ stigmatibus pingi, obniti non licet. Quòd Ecclesia prohibuerit non eget probatione; *quod patet expresse nõ est probare necesse*: patet prohibitio apud Tridentinum, vt supra tetigimus, vbi de sacris imaginibus est sermo: patet ex rationibus, & congruentijs; patet ex tot Pontificum, quot in Bullario, Decretales, extant, vtq; expediam: Sixtus 4. sub Pontificatus initio anno 2. decretalem edidit, quæ incipit, *Spectat ad Romani Pontificis prouidentiam*; anno Domini 1472. Pont. 2. 8. idus Septembris (impressam cũ alijs vnà, sępius atq; sępissimè, & in Hispania, & in Italia) cuius, ne protraham, subiungo summarium.

Ad prouidentiam, inquit Sixtus, *sedis Apostolicæ*

stolicæ spectare, ne occasione Sanctorum, quos canonizat, oriatur scandalum, aut error in populo.

Non licuisse Beatum Franciscum, quamuis habuerit stigmata sic depingere, aut prædicare, sine licentia Apostolicæ Sedis.

Sanctam Catharinam Senensem, ait Pontifex, *à paucis annis citra, depingi, & prædicari cum stigmatibus sine Sedis Apostolicæ licentia & approbatione.*

Verisimile esse, inquit Pium 2. *qui eandem Sanctam canonizauit, si habuisset stigmata, mētionem in canonizationis decreto facturum, quam non fecit, cum alia minoris momenti in eo retulerit & narrauerit.*

Sub pęna excommunicationis, Romano Pontifici reseruatæ, præcipit; ab huiusmodi prædicationibus, assertionibus, & picturis abstinendum: item amouendas imagines cum stigmatibus depictas, infra annum à publicatione decreti. Nec licere eandem Sanctam depingi cum stigmatibus, donec accedat Sedis Apostolicæ approbatio, & licentia specialis. Nullis ergo hominum liceat, &c.

Aliam insuper decretalem edidit, anno 4. sui Pont. 1475. prid. non. Iul. quæ incipit,

Licet

Licet dum militans. Inseritq; Pontifex in ea, Decretalis Prioris Summarium. Ostenditq; pariter, aliquos, *non obstante mandato Apostolico, contumaces extitisse; prædicantes eandem Sanctam habuisse stigmata: eamq; sic licere cum stigmatibus depingi*. Mox subiungit inhibitionem nouam, habita cum Venerabilibus S. R. E. Cardinalibus deliberatione; & de eorum consilio & assensu: qua prohibet vllum Sanctum, aut Sanctam depingi cũ stigmatibus, vel prędicare, vel docere; adijciens grauissimas pęnas contra Prælatos, loca, Prædicatores, &c. Quæ omnia patent, & facilè possunt legi, vt extant in ipsa decretali, toties in Italia. Gallia, & Hispania typis mandata. Neq; sum primus qui has decretales imprimi feci; & hæc (quæ apud Rodriguez septima quidem est) pro vera veréq; Apostolica à parte aduersa tenetur: etsi aliqui nunc dierum eiusce conantur vires infringere: fallacijs equidem, subęratisq; rationibus: Ast, vt oleum super aquam, veritas enatat apex, & à cunctis se facit agnosci. Durum est contra stimulum calcitrare. Ecclesia Dei, pellici, falli, ac decipi nequi: erroremq; vnquam in rebus Religionis & cul-

tus

tus admisit. Si autem ego pauperculus in illo libro quem edidi de stigmatibus acriter inueho; causam quidem Ecclesię me fecisse existimo; sum & ego membrum Ecclesiæ, sum & ego verus atq; legitimus eius filius; iureq; optimo Ecclesiæ Patribus repræsentare possum rationes meas, ne aliquando subrepat anguis in herba, erroris q; venenum (quoad rem hanc loquor) iaculans glorietur. Si meridiana luce est clariùs Diuam Catharinam nō habuisse stigmata penetrantia carnem; *quare fremuerunt gentes?*

Prosequitur Auctor eandem Conclusionem.

EX ijs Decretalibus patet amplissimè, Ecclesiam Matrem, imaginum vsum non nisi iuxtà repræsentationem formalem cum stigmatibus pati. Ergo cum earum vsus eatenus ad Religionem spectat, quatenus habent annexam approbationem, & acceptationem Ecclesiæ; sequitur falsas esse imagines, quas nō acceptauit, nec approbauit Ecclesia. Tridentinum Sanctum ideo submouendas sancit imagines, quæ occasionē possent erroris inuoluere. Submouendasque, Decre-

Decretales Apoſtolicæ iubent, & prohibent depingendas : dignumq; obedientes Eccleſiæ filij cenſent deletu: quia Mater ipſa prohibuit, & quia earum repręſentatio nequit eſſe, ex approbato atq; recepto legitima vſu.

Decretalem aliam addidit Pontifex Sixtus, ſui octauo Pontificatus anno: qua pęnas inflictas aduerſantibus relaxauit; nempe controuerſiæ ſuperſedere pollicitis, & mandatis Apoſtolicis obedire. Acceſſit exinde alia quarta, quę anno 10. ſui Pontificatus erupit, ſuſpenſas pænas renouans & confirmans.

Innocentius 8. (licet ob ſcandalũ ex imaginibus iam depictis, ſtigmatum obliterationem inhibeat) quinta Decretali, ne amplius depingantur, peremptoriæ excommunicationis iaculo fulminat. Sexta idipſum Gregorius 13. præcipit Decretali; quid vltra? concludo: nullus Pontifex poſt Sixtum 4. in ſubſidium abuſus huiuſce picturæ, nec Pius 5. (verè pius) aliquid innouauit; nec inueniri poterit, quod Sixtinis repugnet decretis.

Con-


Conclusio 6.

SOlus B. Franciscus habuit hactenus penetrantia stigmata Iesu Christi. Testantur ad 30. Apostolicæ Bullę: testatur Ecclesia Sancta in Breuiario Romano 4. Octobris: & in officio Fratrum Minorum de stigmatibus, 17. Septembr. pro toto orbe à Paulo 5. Pont. Max. qui recitare voluerit, approbato: & in Officio solemnitatis 4. Octob. Testatur Ecclesia in Prefatione Missæ S. Francisci: *Qui venerandum Confessorem tuum B. Franciscum, &c.* & in Martyrologio Romano 17. Septemb. in oratione Missæ, *Domine Jesu Christe, qui friges cente mundo.* Testantur Cardinales, Patriarchæ, Prælati, Doctores, Scriptores ad propè 300.

Conclusio 7.

SOlus B. Franciscus inter alios Sanctos, & Sanctas cum sanguinolentis, visibilibus, realibus, clauigeris quinq; penetrantibus carnem stigmatibus legitimè pingitur: Isq; solus licet in Ecclesia pingi cum ipsis. Ita toties allegatæ Decretales Sixti 4. qui in secun-

ſecunda, quæ incipit, *Licèt dum militans in terris Eccleſia*; ait hoc modo. *Habita ſuper ijs cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, & de illorum conſilio & aſſenſu; Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quòd nullius Sancti, aut Sanctæ, Beati, vel Beatę figura aliqua cum prędictis ſtigmatibus, aut quouis modo, quo exiſtimari poſsit, vel credi, illum, vel illam huiuſmodi ſtigmata habuiſſe, per aliquem depingi poſsit. Nec aliquis in prædicationibus ad populum, vel aliàs, ſcriptura, aut verbo aliquem Sanctum, ſeu Sanctam, Beatum, aut Beatam ſtigmata huiuſmodi habuiſſe aſserere, vel affirmare præſumat; præfata Beati Franciſci (quem conſtat ſtigmata à Chriſto recepiſse tùm rei euidentia, tùm multorum Prędeceſſorum noſtrorum approbatione) figura dumtaxat excepta, &c.* Ergo ſi qua pingitur abſq; licentia Vicarij Chriſti, imago cum ſtigmatibus illegitima eſt, & falſa, tum quia repręſentat falſum, cũ etiam quia approbata & acceptata non eſt ab Eccleſia.



Obie-

Obiectiones quę fiunt contra Decretales.

Obiectio 1.

S*Vbreptitias esse contendunt aliqui* (non quidem omnes; siquidem omnes prope, vti humiles & obedientes Apostolicę Sedi, inclinant caput, & acquiescunt) *Decretales Sixti; emanasseq; non audita parte, cuius erat pro S. Catharina respondere.*

Responsio 1.

PRobare incumbit neganti, se minimè auditum: obreptionis enim vitium in Decretis nisi probatum admitti non potest.

Responsio 2.

SVbreptio, aut obreptio truditur allegata, eo quòd Pontifex de præmissis ipsemet asserit plenariam se habere notitiam. Hæc autem minimè defectum necessariæ informationis admittit. Verba Pontificis Decr. 1. *Spectat ad Romani Pont. prouid.* sunt hæc. *Nos igitur de præmissis plenariam habentes noti-*

notitiam, &c. Subreptioni igitur locus non fuit, ſtante notitia plena.

Reſponſio 3.

ALia notitia nõ exigebatur quàm quòd res in turbas tranſierit. Potuit autem, atq; debuit Pontifex huiuſmodi occurrere nouitatibus, & prohibere picturas inſolitas: vnde alia informatio non decebat, quàm ipſamet nouitas facti, & ſcandali cauſa. Sufficiens itaq; fuit inhibitionis motiuum, periculum ſuperſtitionis, & erroris. *In præiudicium* (legitur in 1. Decretali) *veritatis, & honoris prælibatæ Sedis, ac in deriſum multorum populorum.*

Reſponſio 4.

POſito quò prima Decretalis obreptioni ſubiaceret, quæ reuera non ſubiacet; hoc non poterit de ſecunda prætendi, quæ tribus annis poſtea emanauit, an. ſcilicet 5. Pontificatus Sixti. Quibus interim tempus erat informandi Pontificem. Hæc autem Decretalis includit etiam priorem Decreta-

O lem,

lem, eamq; confirmat; ergo non debet prę-tendi obreptio vlla.

Responsio 5.

NOn poteſt in eis probari obreptionis aliquod vitium; maximè quia ſex annorum ſpatium fluxerit à prima Decretali edita anno 1472. vſq; ad annum 1478. quo Prædicatores in generalibus Comitijs Peruſijs celebratis, acceptarunt Decretales ipſas, cuncti. Ordinis Prelatis publicata,& intimata fuerunt: vt patet ex Bulla, quæ incipit. *Dilecto filio Leonardo de Peruſio.* In qua Pontifex acceptationē ipſam teſtatur ijs verbis. *In ipſo veſtro capitulo generali Peruſino, maturo & longo habito conſilio ſuper hac re, nobis expoſuiſti, ex parte ſua,& omnium Diffinitorum; qualiter vos ſtatuiſtis ſub grauiſsimis cenſuris, & pęnis, ne de cætero Sancta Catharina cum ſtigmatibus depingatur; neue de eius ſtigmatibus fiat verbum, aut ſermo, vel prædicatio, ad tollendam omnem ſcandali occaſionem: & hanc ipſam veſtram ordinationem, tàm Generali ordinis Minorum, quàm aliquibus Prioribus ipſius ordinis oſtendiſtis, quam minimè reſpuerũt.*

Quare

Quare tuam, & tui ordinis obedientiam laudantes, & approbantes hortamur te, & tui ordinis vniuersos Fratres in Domino, vobisq; omnibus districtius præcipimus, vt quæ in vestro capitulo Generali bene, & optimè ordinastis, obseruari inuiolabiliter studeatis. Hęc Pontifex. Non ergo potuit esse subreptio, longo sexennio.

Responsio 6.

NOn erat cur noua informatio porrigi posset, quia iam depictam esse B. Catharinam cum stigmatibus negare non poterat pars aduersa; nec esse iam populo prędicatum. Aut ergo prædicabantur stigmata vera exteriora, & patula, quorum repræsentatio erat in imagine (vt insinuare videtur Pontifex) & hoc erat falsum miraculum, prædicare & pingere; vel certè stigmata occulta, & interiora, quorum signum Symbolum esset pictura; & hoc etiā minimè licuit: quia neq; eam significationem dare potuerant contra vsum talium imaginum approbatum ab Ecclesia in formali repręsentatione: aut inducere in materia Religionis,

& cultus, periculosum æquiuocum signum; pingendo scilicet indifferenter, atq; vniformiter, dolores internos, & stigmata vera penetrantia carnem: nam signum æquiuocum patet semper facillimè deceptioni: quæ potissimè fugienda est in materia Religionis, & cultus; quę nisi certa & determinata signa admittit; vt patet in sacramentis, alijsq; ritibus. Quin & in ipsis imaginibus, quorum vsus est determinatus, ad significandũ idem, & non multiplex.

Obiectio 2.

OBijcitur subreptititas, eoquod impositum, inquiunt, est illis dixisse B. Catharinam veriùs quàm B. Franciscum stigmata recepisse; quod, aiunt, non somniarunt dicere.

Responsio.

HOc habetur in Decretalibus, quorum fides præualet negationi. Gregorij Lombardelli, & Iustiniani. Sed & ipse Lombardellus docuit in suo libro de stigm. S. Cathar. *eiusdem generis fuisse stigmata ipsius,*

cum

cum ijs quę habuit B. Franciſcus. Hoc neſcio ſi ipſe dixerit, an verò impreſſor adiecerit: non enim fit mihi credibile, vt eruditionis eximiæ tantæ, tantæ conſcientiæ integritatis vir, tam infrunitum mendacium, in præiudicium veritatis, & Sedis Apoſtolicæ prompſerit. Sedes enim Apoſtolica aliter in ſuis decretalibus aſſerit; aliter quidem Diuam et ipſa Catharina, Confeſſores eius Raymundus, & Thomas, Guilelmus Pepinus, Petrus de Natalibus, B. Antoninus, Chronica Ordinis, & centum alijs tum veteres, cũ etiam recentiores affirmant. *Dies magna, & amara valde*.

Obiectio 3.

OBijcit Lombardellus, *non legi in vita B. Franciſci, aut alijs Auctoribus, viſa fuiſſe ſtigmata eius ante mortem*.

Reſponſio 1.

OBiectio iſta ad probandam ſurreptionem eſt admodum glacialis; aliena eſt enim ab intentione & fine Decretalium, qui

alius non est, nisi quòd nõ depingantur stigmata sine approbatione Sedis Apostolicæ: & quòd populus Christianus in materia cultus non decipiatur.

Responsio 2.

STigmata Beati Francisci visa, reuisaq; ante mortem fuisse, Gregorius 9. & Alexander 4. in suis diplomatibus attestantur. *Confessor Domini gloriosus S. Franciscus cum adhuc spatium præsentis vitę percurreret.* Hæc in vno. *De stigmatibus verò plures fide dignissimi, quos tanti miraculi conscios; hęc, &c.* In alio diplomate Gregorius 9. *Viderunt namq; oculi fideliter intuentes.* Hæc, & alia prosequitur Alex. Episcop. Robertus à Licio, serm. S. Franc. cap. 2. ait. *In vita, & in morte etiam à viris sanctis & grauissimis visa & tacta fuerunt.* Doctor Seraphicus Bonauentura in legenda cap. 14. Cardinales, & fratres vidisse viuentem cum plagis asserit: Magister Theologus Conformitatum, lib. 3. *Diebus cęteris, inquit, hebdomadę petię in manibus ponebantur & pedibus, &c.* In locis pluribus ait fratres aliosq; vidisse. Chro-

nica

nica Religionis par. 1. lib. 2. cap. 57 : *Fra Leone suo Confessore le vedeua ogni giorno à viua forza, hauendo l'addolorato Padre bisogno di lui, come di Medico, &c.* Alexander 4. *Latere non potuit per defluxum humoris.* Et in Speculo S. Francisci, Histor. seraphica, Dialogo antiquo Montis Aluerniæ, Histor. 3. sociorum, & apud quàm plurimos graues, antiquos, & modernos Scriptores clarissimè paret stigmata S. Francisci visa extitisse viuentis. Nonne aqua illa, qua manus lauabat & pedes, morbum à gregibus auertebat? Nonne Chronica, Conformitates, & Speculum, laterali vulnerum digitum immisisse testantur alumnum? Nonne Clara Virgo ad lateris vulnus petiam (quàm vidi in Assisiano Monasterio S. Claræ) quotannis agebat? Nonne quando sacrum Aluerniæ Montem descendit, Illuminato discipulo adhortante, ostendit omnibus manus, pedes, & latus? Peragra monimenta : quid ergo?

Obiectio 4.

OBijcitur falsum esse, *B. Catharinam à paucis annis tantum fuisse cum stigma-*

tibus pictam: in cuius impugnationẽ, 3. par. cap. 7. quasdam imagines Senis depictas referunt, *vnam anno* 1392. *aliam* 1426. *aliam* 1492. *aliam* 1508. *&* 1526. *hasq; in Ecclesia S. Dominici de Campo Regio Senensi*, esse peribent. *Accedit*, inquiunt, *statua Diuæ supra Chorum antiqua cum stigmatibus*: *item eius effigies*, ait, *in Cappella Tertiariorum naturalis depicta*, *qnando ipsa viuebat*, *quæ etiam cum stigmatibus est depicta*; *quia*, inquiunt, *vel diuina voluntate*, *ea viderit*, *vel fuerit publica fama habuiße tum stigmata*. Hęc omnia ille.

Responsio 1.

STandum est Decretalibus; quòd si falsum esset à paucis annis citra illam emersisse picturam, falsum assereret Pontif. Max. Dei oraculum, & diuinæ interpres voluntatis in terra: falsum autem dicere dixisse Pontificem, sacrilegum est, imo execrabile atq; detestabile sacrilegium. Verba Decretalis, quæ incipit, *Spectat ad Romani Pontif.* sunt ista. *Nihilominus à paucis citra, nonnulli Religiosi quasdam Sanctas*, *&* *maximè Sanctam Catharinam de Senis sine consensu*, *&* *approbatione*

batione dictæ Sedis (vt creditur sine rei veritate) *cum stigmatibus Christi, ad instar Beati Francisci depingunt*. Et ne dicat quis verba hæc non esse Pontificis, sed partis aduersæ informantis falsò, hęc accipiat, quę subiungit. *Nos igitur de præmissis plenariam habentes notitiam, &c.* Ergo non falsum est, à paucis annis citra, nuperrimam fuisse picturam. Decretalibus potiùs quàm Lumbardello debetur fides.

Responsio 2.

QVando relata est Diua in Sanctorum numerum à Pio 2. nulla cum stigmatibus apparuit, nec est delata pictura, teste Roberto de Licio Episcopo, etsi Franciscano, Dominicano tamen affectu, & animo; propterea commissa fuit illa cōcio post meridiana in Minerua, die canonizationis ipsius Sanctæ. Hic Antistes, nullā tum temporis mentionem fuisse de stigmatibus asserit, nullamq; delatam cum plagis effigiem; nec est qui fidem statuat de ijs antiquis figuris nisi Lombardellus hesternus: tot grauiorum sanctitate, & eruditione pollentium

Hęroum

tibus pictam: in cuius impugnationẽ, 3. par. cap. 7. quasdam imagines Senis depictas referunt, *vnam anno* 1392. *aliam* 1426. *aliam* 1492. *aliam* 1508. *&* 1526. *hasq; in Ecclesia S. Dominici de Campo Regio Senensi*, esse peribent. *Accedit*, inquiunt, *statua Diuæ supra Chorum antiqua cum stigmatibus: item eius effigies*, ait, *in Cappella Tertiariorum naturalis depicta, qnando ipsa viuebat, quæ etiam cum stigmatibus est depicta; quia*, inquiunt, *vel diuina voluntate, ea viderit, vel fuerit publica fama habuisse tum stigmata*. Hęc omnia ille.

Responsio I.

STandum est Decretalibus; quòd si falsum esset à paucis annis citra illam emersisse picturam, falsum assereret Pontif. Max. Dei oraculum, & diuinæ interpres voluntatis in terra: falsum autem dicere dixisse Pontificem, sacrilegum est, imo execrabile atq; detestabile sacrilegium. Verba Decretalis, quæ incipit, *Spectat ad Romani Pontif.* sunt ista. *Nihilominus à paucis citra, nonnulli Religiosi quasdam Sanctas, & maximè Sanctam Catharinam de Senis sine consensu, & approbatione*

batione dictæ Sedis (vt creditur sine rei veritate) *cum stigmatibus Christi, ad instar Beati Francisci depingunt*. Et ne dicat quis verba hæc non esse Pontificis, sed partis aduersæ informantis falsò, hęc accipiat, quę subiungit. *Nos igitur de præmissis plenariam habentes notitiam, &c.* Ergo non falsum est, à paucis annis citra, nuperrimam fuisse picturam. Decretalibus potiùs quàm Lumbardello debetur fides.

Responsio 2.

QVando relata est Diua in Sanctorum numerum à Pio 2. nulla cum stigmatibus apparuit, nec est delata pictura, teste Roberto de Licio Episcopo, etsi Franciscano, Dominicano tamen affectu, & animo; propterea commissa fuit illa cōcio post meridiana in Minerua, die canonizationis ipsius Sanctæ. Hic Antistes, nullā tum temporis mentionem fuisse de stigmatibus asserit, nullamq; delatam cum plagis effigiem; nec est qui fidem statuat de ijs antiquis figuris nisi Lombardellus hesternus: tot grauiorum sanctitate, & eruditione pollentium

Heroum

Heroum caterua oppositum proclamante.

Responsio 3.

NOn conuincunt exempla adducta imaginum illarum in Ecclesia S. Dominici: sunt enim domestica, priuata, & non publica testimonia, indigentq; probatione, cuius expertia sunt. Renouantur indies picturæ, perfacileq; est pictoribus adijcere, vel detrahere; stigmata præsertim, quę de facili possunt attactu pennicilli formari. Coniectura itaq; bene fundata, huiusmodi stigmata picta viuente Sancta, & postea, fictitia pandit, & suspecta omnino deprehendit. Tota siquidem fides de ijs stigmatibus emanauit, per historiam scriptam à Raymundo de Capua, Thomam, Antoninum, Pepinũ, & alios vetustissimos viros; qui omnes à Raymundo Confessario Diuæ, tanquam à fonte, veritatis cursum deduxere.

Responsio 4.

ASt illarum, quæ Lombardellus exempla imaginum affert: quędam, aiens, depi-

depicta est, anno 1475. alia 1492. cæteræ 1508. & 1526. ad rem non conferunt; imo ab instituti tramite prorsus errare dignoscitur, ipse Auctor, dum probare assumens, harum picturæ imaginum vsum à multis annis ante fuisse, transuiat assumptum, probans fuisse multis annis postquam decretales editæ sunt. Anno siquidem 1472. prima Decretalis erupit: neq; est frugi probatio picturæ illius 1475. 1492. 1508. & 1526. deprehenditur enim post ipsas Decretales, vnde non nisi contumacia exploratur, & suo seipsummet gladio iugulat Lombardellus.

Responsio 5.

PVgnant secũ Aduersarij; Iustinianus .n. asserit duas dumtaxat imagines: vnam in Conuentu Prædicatorũ Campi Regij Senarum; alteram in vexillo sodalium B. Catharinæ Senensis. Vnde igitur talis tantaq; Lombardello suppellex, harũ inquam imaginum antiquitati probandæ; qui & postremò scripsit, & scribendi diligentia Iustiniano cessit? Oportet ergo plures earum imaginum, quin & omnes, recentes esse, saltem in cicatricibus. *Respon-*

Responsio 6.

ARgumentum etiam est, antiquum non fuisse prædictarum vsum imaginum, quia controuersia erumpente, tales imagines nusquam apparuerunt in Italia; nisi (vt testantur Decretales) in partibus vltramontanis. Enatus est itaq; abusus iste pingendi simul cum controuersia. Non enim tacuissent Franciscani abusum ipsum, si prior fuisset, maxime in Romę ianuis, nimirum Senis. Neq; verisimile est conciones, & imagines B. Catharinæ in publicum eius percrebuisse cultum, antequam illi Sedes Apostolica honores cęlestes adscriberet, contra Canonem Ecclesiasticum. Eius autem canonizatio, Sixti decreto vndecim præcessit annis.

Obiectio 5.

OBijcitur, *falsum esse, vt deponitur in Decretali, asserere; Beatum Franciscum depictum non fuisse cum stigmatibus ante approbationem Apostolicæ Sedis.*

Responsio

Responsio 1.

ETiam hoc est Pontifici Christi veridico dedecus. Ipse enim, Gregor. inquã 9. in Bulla de stigmat. S. Franc. asserit ex miraculo stigmatũ, specialem habuisse causam approbandi, Diuisq; annumerandi Franciscum. *Quo ad nostram fratrumq; nostrorum notitiam deducto, & cum cęteris eius miraculis per testes fide dignissimos solemniter probato, ex ipso specialem causam habuimus, quòd Confessorem eundem Sanctorum cathalogo duximus adscribendum*. Idemq; asserit in illa, *vsq; ad terminos orbis terrę*, incipiente, dicẽs. *Ad hoc ipsum fidelis Mater Ecclesia suffragatur, quæ ex huius miraculo, cum multis alijs, debita solemnitate probato, causam specialem habuit, quòd eundem Sanctum Beatorum cathalogo reuerenter adscripsit*. Ecce prędicatio, & pictura legitimę stigmatum à Sede Apostolica robur asciscũt, quandoquidem, contra primos impugnatores gladium strinxit. *Quæ temeritas*, inquit idem Pontifex, *quod peccatum, si tam singulare priuilegium ad indulgentis gloriam, picturę testificatione pateat oculis deuotorum?* Ecce ad defensionem

nem recentis picturę progreditur Pontifex, ergo tunc incæpit. Quod quidem pro Diuæ Catharinæ imaginibus allegari non potest, in qua nec veritas miraculi, quod repræsentatur, hoc est vulnerum patulorũ, neq; eius approbatio præcessit. Item Sixtus 4. in Decretali, *Spectat ad Romani Pontificis*, verba illa, quæ refert. *Licet Beatus Franciscus, antequam spiritum redderet cęlo, sacra stigmata Christi per biennium in suo corpore portauerit, à multis visa & palpata fuerint, & in sua sancta morte omnibus videre volentibus patuerint, tamen non licuit Fratribus sui Ordinis ipsum S. Franciscum cum stigmatibus sacris depingi, aut in prędicationibus publicare donec placuit Sanctę Sedi Apostolicæ ipsa sacra stigmata approbare, & licentiam, atq; consensum benignè concedere, sicut per literas Apostolicas diuersorum Summorum Pont. eidem Religioni concessas patet.* Sigillat his alijs, dicens ibidem. *Nos igitur de premissis plenariam habentes notitiam.* Blateret & trinset qui negat verum esse B. Franciscum non fuisse depictum cum stigmatibus absq; licentia Sedis Apostolicę. Ea siquidem donec ipsum miraculum stigmatum in specie approbauit, licentiam pingendi nõ dedit. *Re-*

Responsio 2.

PRęsumunt aliqui approbatum fuisse miraculum stigmatum S.Catharinę in eius canonizationis processu. Quod penitus falsum esse patet: agitata enim cōtrouersia coram Sede Apostolica, nunquam id probatū est, vel tum maximè, quum sub initio controuersiæ acta canonizationis 11. annis iam peractæ produci poterant. Præterea approbata realia, & penetrantia carnem stigmata, sed interni solum dolores extiterunt. Non enim probari poterat quod nō verum. Dolores autem intimi quos pertulit Diua, in exteriora, & patula stigmata transferri non licuit: neq; in picturam, vt factū perperam, absq; auctoritate, Sedisq; Apost. gratia: nō licuit, dico toties, ob falsam repræsentationem, erroris & superstitionis occasionem. Talis nempe imago aliter ad suum non posset referri prototypum, nisi iuxta modum & vsum similium imaginum ab Ecclesia receptum, & approbatum, repræsentandi videlicet suum prototypum naturaliter, & nō symbolicè. Hanc itaq; licētiam Sixtus Pontifex derogauit, & contrarium reprobauit abu-

abusum; Nequeunt ergo aduersarij approbationem ad actum prętextum, sufficientem prætendere.

Responsio 3.

ARgumentum specialis licentiæ, S. Franciscum pingendi cum stigmatibus, est miraculum illud quod narrat S. Bonauentura cap. 16. legen. de imagine eius sine stigmatibus depicta, cui mox diuinitus adiecta sunt: ergo post obitum cum stigmatibus nō est pictus, donec accessit licentia, donec diuinitus adiecta sunt, imago illa stigmatibus caruit, habuit miraculose: quo arbitror vehementiùs, velociùs, atq; ocyùs pingendi copiam erupisse.

Obiectio 6.

IMpugnare conantur Decretales; *earum siquidem ratio*, inquiunt, *non concludit: neq; quòd verisimile est, si B. Catharina habuisset stigmata, Pius 2. fecisset mentionem in Bulla canonizationis. Quòd si ratio hęc valeret*, aiunt, *probaret vtiq; contra stigmata Sancti*

Sancti Francisci, de quibus in eius quoq; Bulla canonizationis, de stigmatibus non fit mentio.

Responsio 1.

BVllę canonizationis S. Francisci diuersus est stylus ab illo canonizationis Bullæ S. Catharinæ stylo. Non enim Gregorius nonus, qui Sanctum ipsum in Diuos retulit, miraculum aliquod specialiter expressit in Bulla; vt patet ex ipsa: neq; processum super vita,& miraculis, eorumq; approbatione à Sede Apostolica factum, transtulit in substantiam Decretalis. Pius autem 2. qui canonizauit B. Catharinam, omnia & singula approbata miracula, eorumq; relationem factam per Cardinalem Portuensem comprehendit summatim in Bulla canonizationis, in quorum summario nulla fit mentio stigmatum. Eadem igitur ratio non est de Bulla canonizationis Beati Francisci, & de B. Catharinæ Senensis.

Responsio 2.

IPsemet Pontifex Gregorius 9. qui Beatum Franciscum canonizauit, vt supra

P osten-

ostendimus, testimonium perhibet de eius stigmatibus in alijs Bullis: & in illa quæ incipit, *Gregorius Episcopus*, *&c. Prioribus*, *& Prouincialibus*, *&c.* (vide apud Rodrighez tom. 1. fol. 11. & in Mon. Ord.) ait, *Qui ex tanto miraculo cum cæteris probato solemniter, causam specialem habuimus, quòd ipsum adscripsimus cathalogo Beatorum.* Hoc non inuenitur dixisse Pium 2. de Beata Catharina; nec in summario miraculorum, quod eius continet Bulla canonizationis, nec vllibi.

Obiectio 7.

OBijcit Iustinianus; *quia Decretales non fuerunt*, vt inquit ille, *promulgatæ* (*non enim*, ait, *in antiquis tabularijs promulgata esse minime reperitur, in vllo Episcopatu, neq; inter Sixtinas corpori iuris insertas*) *ideo non tenere*.

Responsio 1.

NVllius momenti ratio hæc est: quia leges Pontificiæ sine acceptatione subditorum obligant, & vt habeant vim obligandi,

gandi, postquam publicatæ sunt in Curia: & tandem ex omnium iuristarum sententia, exigitur tantùm earum promulgatio in prouincia, & non in singulis episcopatibus. Et hoc probatione non indiget, quia notum est. Sed nec Iustinianus probat non fuisse promulgatas Decretales in prouincijs, neq; oppositum permittit status & controuersię cursus, quæ per multos annos durauit, neq; diligentia partis.

Responsio 2.

HAbetur confirmatio talium inter alia Pontificia in Monimento Ordin. Minorum, quod per publicũ processum factum anno 1511. publicatum est à Vicario Generali Ecclesiæ Salmanticę, mensis Ianuar. die 4. absurdum est tandem quòd quia corpori iuris inter Sixtinas Decretales insertę nõ sint istę vim non habeant: quidpiam nõ conuincit: sequeretur enim alia Decreta, maximè ad statum Regularem spectantia, confirmationem priuilegiorũ, exemptiones, &c. non habere vim, quia in corpus iuris non sunt redacta, aut compilata. Habentur iam, in-

ferta, & registrata in Monimento, in Bullarijs, in libris antiquis, & modernis; nec de hoc excusatio valet.

Responsio 3.

TAndem promulgatio negari non potest, quandoquidem acceptatæ fuere Decretales ipsæ, in capitulo Generali Perusijs celebrato, vt constat ex illa Sixti 4. quæ incipit, *Dilecto filio Leonardo de Perusio, Sacræ Theologiæ Professori ordinis Prædicatorum Generali Ministro. Dat. Romæ apud S. Petrum, die 3. Octobr. an.* 1478. *Pontif. an.* 8. Ergo iam fuere promulgatæ, quãdoquidem in capitulo pleno acceptatæ sunt, & publicatæ omnibus Patribus Ordinis, & statutum generale factum est ad obseruantiam inuiolabilem prędictarum.

Responsio 4.

NOn obscurè Decretales admisere contrarij, cum ex occasione ipsarum in populo scandala enata affirment, quæ nulla ratione Decretalibus in Archiuio obseratis

pullularent. Ergo si turbæ cõmotæ sunt, & dissensiones enatæ ex occasione Decretaliũ, quæ rigorosis pęnisq; tremendis comminitantur, iam promulgatæ erant. *Poueri di noi che vogliamo à viua forza la verità, e la ragione spegner, e sepellire.*

Obiectio 8.

OBijcitur: *non fuiße acceptatas Decretales, quod probant ex frequenti vsu imaginum S. Cathar. cum stigmatibus apud quoscùnq;, in Clero, & populo.*

Responsio 1.

VSus ille pingendi reclamante lege abusus potius est quàm vsus; corruptela quidem non actus legitimus, aut licitus: quamuis fortè plures acusari possint ignorantiæ. Abusus iste non derogat Decretis Pontificum, & Sacræ Cõgregationis, quem admodum non derogat cultus Reliquiarum nondum approbatarum, Sanctorum scilicet non canonizatorum neq; Beatificatorum, quorum imagines exponuntur cum diade-

mate radijsue in capite; suspenduntur vota ad eorũ sepulchra, &c. Cum Pontifex amouere iubeat ipsa vota, prohibeat vocari Beatos, & pingi publicè; & tamen abusus non desinit facere quod lex prohibet: non idcirco dicendum est derogata esse abusu illo, decreta Apostolica. Ita similiter de picturis B. Cathar. cum stigmatibus. Sedes Apostolica vetuit cum censuris & pęnis; nec desistit abusus Apostolicæ voluntatis sacrilegus impugnator.

Responsio 2.

ACceptatas fuisse Decretales meridiana luce clarescit: probantq; sequentes Apostolicæ Decretales, *Dilecto filio Leonardo de Perusio Sacrę Theolog. Professori, ordinis Prædicatorũ Generali Ministro Sixtus Papa 4. Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Olim tuæ deuotioni commisimus, vt in tui ordinis capitulo Generali, quòd nuper celebrastis apud Perusium,&c.* Consulatur Bulla, Dat. Romæ apud S. Petrum an. 1475. oct. kalen. August. Pontif. an. 4. In hoc capitulo Religio Prędicatorum grauissima, & Apostolica,

ſtolica, ſtatuit ne amplius depingi fieret Sācta Catharina cum ſtigmatibus, nec prędicaretur. Et ſic ipſa Religio nunquam tenuit ipſam debere ſic pingi; neq; controuerſia eſt ipſius ordinis, ſed aliquorum priuatorū hominum qui repugnantę ſuamet conſcientia, vt placeant plebeculę; ſunt cauſa diſſenſionis, & ſtrepitus inter duas Religiones, Franciſcanam, & Dominicanam, quæ tanquam gemini ab vtero Matris Eccleſię prodiere, & ſunt (aliarum pace Religionum ſit dictum) pupillę oculorum ipſius Eccleſiæ. Audiamus Pontificem in ipſa Decretali. *Maturo & longo habito conſilio ſuper hac re nobis expoſuiſti ex parte tua, & omniū Diffinitorum; qualiter vos ſtatuiſtis ſub grauiſsimis cenſuris, & pęnis, ne de cætero S. Catharina cum ſtigmatibus depingatur, neue de eius ſtigmatibus fiat verbum, aut ſermo, vel prædicatio, ad tollendam omnem ſcandali occaſionem, &c.* Ecce quomodo acceptatę Decretales. Et ſic deinde, vt iuris interpretes docent, habuerunt ſecum annexam vim obligationis huius accceptationis omnes Religioſi ipſius Ordinis: neq; enim à ſubditis poteſtatem ferendi legem, aut etiam coactiuam, ad eiuſdem

legis acceptationem, recipit Pontifex.

Obiectio 9.

OBijcitur: *quòd huiusmodi Decreta reuocata fuerint ab ipso Pont. Sisto.*

Responsio.

EX tenore premissi Decreti constat, non fuisset reuocata, sed confirmata. *Hortamur* (ait Pont.) *te & tui ordinis vniuersos Fratres in Domino, vobisq; omnibus districtiùs precipimus, vt quę in vestro capitulo Generali bene & optimè ordinastis, obseruari inuiolabiliter studeatis, &c.* Præterea mox cum aliqui publicassēt ipsarum Decretalium integram reuocationem, fulminauit Pōtifex ipse duobus annis post, anno scilicet 1480. aliam Decretalem, quæ incipit. *Sixtus Papa 4. Vniuersis & singulis præsentes literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem: Alias per Breue nostrum suspendimus vsq; ad tempus, &c. Quare præsentium tenore decernimus, statuimus, & ordinamus, quòd Bulla prædicta super ipsis stigmatibus edita, ad suspen-*

spensionem præfatam (vt præfertur) nullatenus reuocata censeri debeat, sed in suo robore, & vigore, &c. Mandantes sub censuris in ipsa Bulla contentis, omnibus ad quos spectat, ne præfatas B. Catharinæ imagines ampliùs de cętero cum stigmatibus depingant, ac pictas aboleant, &c. Dat. Romæ apud S. Petr. 19. Decemb. an. 1480. Pont. nostr. an. 10.

Obiectio 10.

OBijcitur: *fuisse reuocatas Sixtinas Decretales saltem per successores.*

Responsio.

PRobent hoc aduersantes si possũt, quod non possunt per promulgationem legis contrariæ, aut reuocationem vllam in terminis. Nõ enim post Sixtum 4. aliquem poterunt assignare Pontificem, qui concesserit pingi cum stigmatibus B. Catharinam: nec permittet Deus, vt aliquis cõcedat cum veris stigmatibus depingendam; quia vera stigmata non recepit exteriùs. Et Pontifex in rebus arduis quę ad fidem, Religionem, & cul-

& cultum spectant, errare non potest, astat enim illi præsidium Spiritus sancti, qui Ecclesiam gubernat, & protegit.

Obiectio 11.

OBijcitur, *Decretalis Innocentij 8. Dat. an. 1490. die 6. Iul. ad Ioachim ordinis Prædicatorum Ministrum Generalem.*

Responsio.

HÆc Decretalis, quæ habetur in Conuentu Prædicatorum de Firmo in Piceno, impressaq; Venetijs anno 1506. inter priuilegia ordinis Prædicatorum, est corroboratio, & confirmatio Sixtinæ Decretalis, quamuis nō suspendat effectum eius quoad rasuram imaginum depictarum illucusq, ob turbas & scandala; inhibet tamen Innocentius, amplius non pingi cum plagis imagines ipsas, sub pęna excōmunicationis. Et hoc est verum, & negari non potest, ipsa Bulla teste; & Iustinianus testatur §. 6. Ergo per successores reuocata hactenus non fuerunt Sixtina Decreta.

Obie-

Obiectio 12.

OBijcitur, *quędam ordinatio Alexandri 6. qui statuit*, inquiunt, *Beatam Catharinam com stigmatibus auratis, & lucidis depingendam.*

Responsio.

HOc quod dicitur de Alexandro 6. non habet fidem, nec talis ordinatio extat in rerum natura; nec poterit apparere tale decretum, quia non extat. Sed dato quòd esset, magis magisq; confirmat Decretales Sixti 4. Diuersitas enim illa pingendi, reprobat picturam S. Catharinę cum stigmatibus, exteriora repræsentantibus habuisse. Vnde potiùs obesset, quàm prodesset ordinatio illa.

Obiectio 13.

OBijcitur, *Breue Clementis* 8.

Responsio.

HOc magis est clarum, idq; potiùs in subsidium, quàm in cõtrarium huius

partis

partis agere indicat: intactam rem Clemens vult esse, & nihil contra suorum Prædecessorum Pontificum decreta præcipit innouari, donec lis S. Congregationi commissa decidatur. Hęc est Clementis 8. Decretio, vt nihil innouetur scilicet, vt in *Theatro Seraphico* latius extat, ne radantur stigmata propter scandalum, & ne amplius depingantur.

Obiectio 14.

PIus 5. obijcitur, *post Alexandrum 6. decreuisse similiter in fauorem contrariorũ.*

Responsio.

ET id probandum est, totis enim viribus in eo superfuerunt, vt horum stigmatum probationis tantillum à Sede Apostolica obtinerent, & nunquam obtinuerunt: neq; probati miraculi aliquod ahibuere sufficiens fundamentum, quo ipsam impetrarent approbationem.



Obie-

Obiectio 15.

CItat R. P. Castellinus, *Cornelium à lapide, in cap. vlt. epist. ad Galat. quasi dixerit, Pium 5. concessisse approbationem dictorum stigmatum S. Catharinæ.*

Responsio.

COrnelium à Lapide vidi, sed tale non asserit; quod ille refert, est, *Patres Dominicanos qui vitam S. Catharinæ, nuper cum stigmatibus ediderunt, asseruisse à Pio 5. approbata fuisse.* Falsum est autem totum quod super hac re trinsatur; scilicet super confirmatione & approbatione tàm stigmatum, quàm imaginum. Et hoc probant, & roborant literæ Gregorij 13. quibus confirmantur Sixti Decretales: aggrauantes de nouo pęnas, & censuras contra pingentes, &c.

Obiectio 16.

OBijcitur; *per consensum implicitum obtentam esse dictarum imaginum approbationem.*

Respon-

Responsio.

NOn est consensus, sed abusus tolerantia, qui reprimi nequit: quiquidem abusus etiam viuente Sixto 4. viguit vllis in locis.

Obiectio 17.

ADducunt, *confirmationem Ordinis Dominicani à Sede Apostolica approbatum Breuiarium, in quo asseritur B. Catharinam habuisse stigmata.*

Responsio.

SI nomine stigmatum intelligitur dolor, & cruciatus internus quem habuit ipsa Diua, verum dicunt: quia de hoc Breuiarium recitat; si autem de stigmatibus externis & patulis, falsum est, non Breuiarium, sed quod de huiusmodi stigmatibus ipsum recitet. Prætendunt ex hac Breuiarij approbatione, approbata fuisse, & stigmata, sed falluntur: primo quia Breuiarium recitat de internis stigmatibus: secundo, quia dato

dato & nunquam concesso, quòd de externis ageret Breuiarium, de quibus non agit, non ideo approbata & definita sunt stigmata ipsa externa & patula; quemadmodum & conceptionis B. Virginis absq; peccato originali controuersia definita atq; decisa erit, quia in Breuiario Fratrum Minorum approbatur officium copiosum, & speciale: sed neq; quia & Ecclesia recitat, definiuit. Idipsum retorquendum ad illorum Patrum opinionem; eo quòd in eorum officio sub titulo sanctificationis recitari concessum erat, propterea definitam esse iamq; decisam sanctificationem, non autem conceptionem. Approbatio igitur ipsa non definitionis, sed concessionis tantummodo locum habebat: quod de stigmatibus B. Catharinæ minus obtendi ratio exigit. Ecclesia non nisi verum approbat, atq; certum.

An sint alij Sancti, vel Sanctæ, qui passionis internos habuere dolores.

MVltas personas sanctas in nostris Chronicis inuenio, quę sanctissimæ passionis Christi sensere dolores; nec propterea

depi-

depictas vnquam cum stigmatibus. Chronica par.4. lib.2. Serua Dei (quam ipsa Chronica, Auctoresq; qui eius vitam & miracula scriptis consignarunt, Beatam vocant) Ioanna de Cruce Monialis Clarissa, cuius processus habentur in Rota, pro canonizatione ipsius, non solùm interius, sed etiam exterius habuit Christi signacula: non quidem penetrantia, sed signata solummodo colore roseo cum intenso dolore in suis manibus, & pedibus. Consule Chronicam loco citato, siue de ipsa conscriptos libros.

Serua Dei Soror Maria de Toleto, Clarissa, & fundatrix Monasterij S. Elisabeth *el Real de Toledo*, habuit intimos cruciatus Passionis sanctissimæ, anno integro. Ita Chronica par. 4. lib. 9. cap. 10. & non depingitur cum stigmatibus.

Serua Dei Soror Baptista Varana Principissa Camerini, Clarissa Monialis, Passionis doloribus cruciata est. Ita Chron. par. 4. lib. 7. cap. 17. & 18. Neq; depicta vnquam cum stigmatibus.

Serua Dei Apollonia Pignesia Volterræ. Religiosa quoq; S. Francisci sensit dolores passionis Christi, in suis manibus, pedibus, & la-

& latere. Ita asserit Pulinarius in sua Chronica, & ita Chronica Ordinis, par. 4. lib. 8. cap. 40. & non depicta vnquam cum stigmatibus.

Serua Dei Collecta, Clarissarum reformatrix in Gallia, & Germania, habuit internos Passionis Dominicæ cruciatus, prę ertim in corde, manibus, & latere. Ita scribit Marianus in sua Chronica par 3. lib. 3. cap. 16. Refert Chronica Ord. par. 4.

Serua Dei Margarita Colonna, Clarissa S. Francisci, eosdem Passionis dolores habuit. Refert Marianus, & Chron. Ordin. par. 2. lib. 4. cap. 32. Refert quoq; Chron. Ordin. par. 4. & tamen cum stigmatibus non depicta.

Serua Dei B. Margarita de Cortona, testante Chronica Ord. par. 2. lib. 5. cap. 31. 35. & 36. & Mariano in sua Chronica, alijsq; Scriptoribus, sauciata fuit interius passionis Christi sagittis, doloresq; sensit acerrimos. Et tamen non depingitur, vt B. Cathar. Senensis, ob ipsos dolores internos.

Serua Dei Angela de Fulgineo, Tertiaria S. Francisci, dolores ipsos habuit. Asserit Chronica Ord. par. 2. lib. 7. cap. 13.

Serua Dei Margarita Agullòn Valentina dolores Passionis assiduè perferebat; ita vt sępius vti crucifixus marmoreus in forma Crucis, immobilis per horas integras existeret; de cuius mirifica positione, & transformatione in Crucifixum Iesum Seruus Dei Ioannes de Ribera Archiepiscopus Valentinus (de cuius canonizatione tractatur; expeditusq; est iam Rotulus à S. Congregatione Rituum, Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Cardin. Caietano proponente) fidelissimum testimonium sua manu firmauit, cum alijs Valentinis ciuibus, vt patet literis exaratum: & asserit Chronica Ordinis 4. par. Hispanica lingua edita. Et tamen non depingitur cum stigmatibus.

An sint alij qui penetrantes plagas habuerint.

ADest, eximius, atq; extaticus Vir Dei, (quem ore pleno Beatum vocant, & Chronica Ord. & Auctores egregij; & Iudices Sacrę Rotę) Nicolaus Factor Valentinus de Obseruantia Minorum Ordinis; qui non modò sępissimè dolores habuit intimos

passionis

passionis sanctiss. Christi Iesu, verum & penetrantia vulnera habuit aliquando, & cum manibus perforatis visus est sæpius prædicando. Ita probatum est in processu iuridico suæ vitę, qui nunc est Romę; procurante & ad finem causam feliciter perducente, admodum Reu. P. Fr. Sebastiano Mollano, Prou. Valen. alumno S. Theologiæ Doctore iam in Vniuersitate Valentiæ Cathedratico, dum sæcularis esset, nunc autem Professore, & Prædicatore. Ita etiam testantur Sacræ Rotæ Auditores in relatione canonizationis dicti Serui Dei Nicolai, facta Sanctissimo Domino nostro Papæ Vrbano 8. quam hisce oculis ego perlegi, hæc verba de ipsis penetrantibus stigmatibus, inter alia continentem. *Tantaq; animi propensione sacros Christi Domini cruciatus meditabatur; vt quandoq; per multos etiam dies præ sensus interni magnitudine soluere nesciret eloquium; & PENETRANTIVM VVLNERVM citò nata vestigia in manibus apparerent*. Hæc Auditores Rotæ. Et tamen nondum depictus est cum stigmatibus.

Serua Dei Soror Clara de Bugni Venetiana, Monialis Religiosi Monasterij S. Sepul-

chri Venetiarum Prouinciæ S. Antonij, testante Chronica Ord. par. 4. lib. 10. cap. 22. habuit plagam penetrantem & cauam, in latere sinistro, Diuinitus factam; & cap. 24. & 25. asserit Chronica, quod sanguine perfluebat, cuius particulę asseruatæ sunt in Reliquiario dicti Monasterij Sancti Sepulchri. Huius miraculi fides & testimoniū legalizatum, trāsmissum fuit Romam ad Illustriss. & Reuerendiss. D. Dominicū Grimanū Cardinalem Protectorem; estq; de ipso diligentissimè fides plenissima cōsignata, typis mandata, & absq; cōtrouersia pietate catholica iam recepta. In capite autem 93. ipsa Chronica Ordinis nostri par. 4. testatur visa fuisse in eius manibus, & pedibus stigmata rosea. Ecce verba Chronicæ. *Oltre la piaga del costato, si vedeano le piaghe nelle mani, che pareano due rose, il che si conosceua, che toccandole col dito, profondauą in tal modo, che si sentiua la concauità delle piaghe. Ne' piedi vi era con vn chiodo di neruo con la cappelletta di sopra del collo de' piedi; e doppo morta gli cadde vna di quelle cappellette; la quale fu in vn tabernacolo lungamente conseruata.* Et tamē non depingitur cum stigmatibus.

Tan-

Tandem Gregorius Lombardellus ordinis Prędicatorum, 2. par. ſum. cap. 17. in fin. aſſerit, *Luciam Narnienſem 49. annis geſtaſſe ſtigmata patula, quibuſcumq; adeuntibus viſibilia*. Iuſtinianus autem eiuſdem ordinis in diſp. de ſtigm. S. Cathar. Senenſis §: 8. aſſerit, ipſam Luciam inſaniſſe, & perdidiſſe ſtigmata, & ſine ipſis in ipſa inſania perſtitiſſe 40. ferè annis. *Obijt verò Lucia Pauli 3. Pontificatu, anno 1546. cum ſtigmata, ſupremum Eccleſię Sacerdotium obeunte Alexandro 6. recepiſſet. Veruntamen occulto Dei iudicio, 40. fere annis, tàm plagis quàm miraculorum operatione deſtituta, vt amens, imò & fallax, & doloſa à doctis & indoctis habita fuit. Donec ſex ante obitum menſibus, nouis miraculis illuſtrata, priſtinam ſanctitatis opinionem cum plagis recuperaſſet, &c.* Videant quomodo inter ſe conueniunt Lombardellus, & Iuſtinianus.

Ratio eorum quæ dicta ſunt de ſtigmatibus.

HVius anni 1629. præſentis, & currentis, pręrenſum eſt Romę officium nuper editum approbari ipſius B. Cathar. cum

ſtigmatum recitatione: ſed aliter Sacra Rituum Cōgregatio decreuit; ſcilicet, ne ſtigmata vt pars aduerſa prætendebat, inſerentur, niſi verba S. Antonini de Florentia, placuit Sanctiſſimo Domino noſtro Vrbano 8. & ſic defraudati ſunt à deſiderio ſuo, animi ſuſpirantes. Antonini autem verba non de veris externiſq; ſtigmatibus, ſed de internis doloribus actitantur. Inuenies apud admodum R. P. Alphonſum del Prado, Profeſſorem Theologum, Sanctę Iquiſitionis Hiſpaniæ Conſultorem, Prou. Conceptionis, impræſentiarum in Romana curia generalem Ordinis Procuratorem: qui literaturæ thorace, & veritatis clypeo cataphractus, aperto irruens campo; veritatis eiuſce vibrans romphęam, ad vireti veſtibulum Franciſcani, errori huiuſmodi ſtigmatum aditum interclusit, ea quæ in ſimili contigere certatu. In cuius rei gratia, vnum tantum verbum apponam ex S. Congreg. Cardin. decreto, hoc ipſo tempore, & hac de re edito; alia omittens: *Dummodo non fiat aliqua mentio de ſtigmatibus.*

Iſthæc, Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Domine, Cardinalis ampliſſime, de ſtigmatum

tum

rum B. Catharinæ picturæ, sapientiæ vestræ ante oculos posui, vt ea respiciat, & attēdat, non me quidem aliud quam veritas impulit ad scribendum in meo libro Theatro Seraphico, de ipsis stigmatibus; quæ Deus non contulit Sponsę suę, homines conferre pręsumunt: Cauissem vtiq; benignissime Princeps, si vera esse deprehendissem, impugnare veritatem; sacrilegum enim, estq; in Spiritum sanctum, impugnatio veritatis peccatum: estq; sacrilega magna pręsumptio, quę Deus non fecit Seruis suis sanctis, priuilegia tribuere sic proteruè, vt fas non sit affirmare cōtrarium. Iudicet Dominus; & aliquando geniosa vestra, atq; generosa inclytitas iudicare meliùs queat; felicitatis nostræ secundè spirantibus Numinis Zephiris; vestrisq; meritis, nostrisq; optatibus, supremum fulgentius ostrum, adijciant incrementa virtutum.

Hinc te consule, Illustrissime, & Reuerendissime Princeps Carole; hinc bonorum genietum geniorum virtutum, ingeniosè deduc, Phęnicem vnam esse Franciscum, in hac Diuinissima stigmatum prærogatiua; ipsumq; solum, & non alium, hactenus de-

pingendum Crucifixo vniformē Iesu; quinque scilicet cruentis, cauis, penetrantibus, visibilibus, exterioribus, clauigerisq; vulneribus insignitum. Hanc benigne, clemens, placide, affabilis, exorabilis, communicabilis, accessibilis, tractabilis, amabilisq; Męcenas, veritatem amplectere decumanam, & antesignanam, & stigmatum inquam re, cum Ecclesiæ sis basis, & Fidei; tuere, sustenta, protege Ecclesiæ Decretalia; neq; feras Optime Princeps, Atlantis Maximi: Atlas alter, Dei Vicarij ò Vicarie; ne patiaris, oro, quę Vicarius Optimi Maximi Christi Pontificis, in re sic ardua Religionis, & cultus, manibus fabricauit, exculcent pedibus, atq; eruant bombitores.



DE-

DECRETVM
Sacræ Congreg. Rituum.

Sub die 11 Iunij 1629.


CVm alias sub die 17. Martij 1629. Sacra Rituum Congregatio distulisset resolutionem quoad Officium proprium Sanctæ Catharinæ Senensis, & an in lectionibus esset apponendum, quod sit de familia Burghesia, in sequentem Congregationem, fuit in hac Congregatione, referente eodem Illustrissimo Muto, resolutũ, quod in lectionibus possit apponi esse de Familia Burghesia, quò verò ad tenorem lectionum fuit resolutum, quod sint conficiendæ iuxta historiam narratam à Sancto Antonino; facto tamen verbo de ijs omnibus cum Sanctissimo, qui Sanctissimus annuit quoad vtrumque, dummodo non fiat aliqua mentio de Stigmatibus. Die 11. Iunij 1629.

Io: Baptista Card. Detus.

Locus ✠ Sigilli.

F. Ful. Benignus Secretarius

In laudem Sancti huiusque Decreti.
Auctor.



AVdieram Phęnica rogo Titania ſolam
Aſtra ſub igniuoma ardenti flameſce-
ſcere, quaſſis
Incenſo pennis vnamq; reuiuere ſemper,
Nunc magis auditũ firmo, nunc arduus aſto,
Fluctus apex sũmo, dubij quin iacter abũdis.
Phæbæam volucrem, quæ herba nec frugi-
bus vllis
Sed thuri lacrymis, & ſucco viuit Amomi,
Vnã (quę reparat, ſeque ipſa reſeminat ales)
Fas norim flagrantem Aſtris, nec habere iu-
galem.
Salue Solis Auis cœleſtibus Empyra flãmis,
Immortale decus Fidei, ſalue aurea lampas
Eccleſiæ, decor almæ ingẽs, & gloria Romæ;
Salue Sancte Seraph, qui à Sacro vertice
Montis
Aluernæ radios vibras, terraſque fideles
Lam-

Lāpadē Seraphica lustras, & pectora torres.
Nobile Decretum; Diuùm Pater atq; hominum Rex
Cordis ab Enthæi prompsit (quàm verus Apollo?)
Thesauro; quàm verè omnes oracula cœli
Sunt agè Pontifices Christi / Diuina Colūba
Vertice sistit eis, & numen verba ministrat.
Error sancta potest accedere limina Petri?
Nobile Decretū; regnet Decretor, & annos
Nestoreos viuat cum Decretalibus ipsis,
Cardinibus Fidei magni Rectoribus orbis.
Regia solis, opus rarum, solumq; sub axe,
Structis clara micas aulæis quinq; Pyropis,
Cuius ebur nitidum fastigia summa decorat,
Clauigeręq; fores auroq; & murice fulgent.
Ingerat Alcmæon cœlestia lumina Lunæ,
Chalcedo iā quina vagis det Numina stellis,
Diuinumq; athomis animū iā somniet alter,
Fulmina acuta Iouis suspēdat in aere Salmō;
Arma salutiferi celebrem Diuina Triumphi,
Sydereas acies, & anhelos Marte Giganteis
Dirigier, fecere Virum te Regia solum
Hacten⁹ ornamēta Crucis pretiosa venustāt
Hacten⁹ vn⁹ habes Ducis Alitonātis olympi
Nobile Vexillū generosū quinq; Smaragdi

Pur-

Purpureis ornant mæandris vndiq; fusis.
Vnedo Nysis, Vnio Gangis aquis:
Germanis Vri, Serica lana Seri,
Siphno Magnetes, verna alabastra Thebis,
Alypium Lybijs, Arcadiæq; Moly,
Cynnama Pangæo, Metopion Syriæ,
Siciliæ fruges, Sardiniæ Segetes,
Pestœis rosulæ, Lilia Phaselidi,
Mellis honos Torinis, Porphyritũ Nomadi.
Indis Mantichoræ, Syrtibus atque Lotos,
Chaoniæ quercus, palma & oliua Tylo,
Cotonæ Cretæ, dulcior vua Tmolo,
Onichites Nysiæ, Sardonicesque Iolæ;
Torsio Ponteo, pinguis Alosa Thuli
Thuris aroma Sabæ, purpura verna Tyro,
Tarandum Scythiæ, Gryphes Hiperboreis,
Armeniæ Tigris Getuliæq; leo,
Clitumno tauri, Celdusięque boues,
Stigmata Francisco sanguinolenta Dei.
Salue Sancte parens enixe ad sydera Reges,
Fons & origo Ducũ cęli, Frãcisce Minorum
Insignis Patriarcha inopum; Soteris imago
Effigiesq; Dei viui signata sigillis.
Os humerosq; olli similis, vocẽq; colorẽq;
Æternum Salue Benoni, quẽ portio mensæ
Quina dolorosæ signum contingit amoris.
Quis

Quis nãm te præter, foſſis myſteria membris
Alter in orbe tulit Sãct⁹? Quis corpore tales
Saucius alter habet gẽmas? Tua ſola videm⁹,
Suſcepiſſe Crucis pretioſa monilia mẽbra.
Vulnera mirificis carnem penetrãria clauis
Machina trina ſcijt, viditque ſed ipſa videre
In Mauſolæo, ni tanta repagula muris
Auertant, poſſet quiſquam; Videre Tiaræ
Admirandum illud funus, terſitque cruores
Manantes latere, VNA SOROR.



EN

EN SETH PLASTIS ADÆ.

NAscitur ĩ stabulo Christus vagitibus infãs,
En quoque Frãciscus nascitur in stabulo

Cœlica turba canit, Christo nascente, per auras;
Francisco nato cœlica turba canit.

Nox tenebrosa micat Diuino Sole coorto,
Francisco exorto nox tenebrosa micat.

Cœpit habere Crucis Iesus nascendo labores,
Franciscus Tau humeris cępit habere Crucis.

Mitis, inopsq; fuit Christus, Saluator Iesus,
Franciscus quantùm mitis inopsque fuit?

Prædia non habuit Christus, nec iugera campis
Franciscus pauper prędia non habuit.

Nudipes ibat iter Christus, sine tegmine plãtis;
Franciscus semper nudipes ibat iter.

Currus equusue tulit nunquam Sotera benignũ
Franciscum nunquam currus equusue tulit.

Aqua

Æqua ſtatura fuit Chriſto mediocris Ieſu,
Franciſco mediocri æqua ſtatura fuit.

Tritici in ore color pulchrum reddebat Ieſum,
Franciſcum ſimilis tritici in ore color.

Crinis auella velut Chriſto, referenſque leone,
Franciſco omnis erat crinis auella velut.

Lumina glauca gerens Chriſtus fuit acria viſu;
Franciſcus noſter lumina glauca gerens.

Fronte ſerenus erat Chriſtus, facieq; decorus,
Franciſcus noſter fronte ſerenus erat.

Voxque ſonora fuit Chriſto, ingens gratia fundi
Franciſco eloquium voxque ſonora fuit.

Lanea veſtis erat Chriſto, communis & vſus,
Aſpera Franciſco lanea veſtis erat.

Diſcipulos habuit bis ſenos ille priores,
Franciſcus totidem diſcipulos habuit.

Proditor vnus erat Iudas qui tradidit illum,
Cappela Franciſco proditor vnus erat.

Interijt laqueo Schariothes arbores pendens,
Cappela Ioannes interijt laqueo.

Fune

Fune ligatus erat Gesemani Christus in horto,
Franciscus strophio fune ligatus erat.

Vulnera quinque tulit Saluator stipite fixus,
Franciscus nöster vulnera quinque tulit.

En man⁹ atq; pedes clauis Christi acrib⁹ horrēt,
Francisci clauis en manus atque pedes.

Panditur ecce latus Christi fluit vnda cruore,
Francisci Sacrum panditur ecce latus.

Corpore nudus obit Christus Deus ales amoris,
Franciscus pauper, corpore nudus obit.

En Seth Plastis Adæ.



Ad ipſum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. CARDINALEM.

QVina ſacroſācti Aſtrigeri Ducis arma duelli
Sanguinolenta Deo, ſanguinolenta Viro.
Quina ſalutiferi Pietas monimenta Triumphi,
Sanguinolenta manus, ſanguinolenta pedes.
Quina refrigerij, æternæ ſpiracula Vitæ,
Sanguinolenta latus, ſanguinolenta femur.
Turbine Miſſilium iactata immane Gigantum,
Et Polyphemorum vocibus acta iugo,
Confugiunt iterum ſtillantia ſanguine, venas
Nuper habent ictas, ſaucia membra nouò.
Pande pias vlnas, & anhelos excipe curſus,
Aduolat inſignem te pietate pium.
Aduolat en Pietas, inioſa cubilia quęrit,
Reſpiret veſtro pectore laſſa pio.
Oſtrigerum fugiens nidum petit Oſtriger Ales
Lenia ſubſternat oſtra cubile ſuum.
Vulnera Franciſci carnem penetrantia clauis,
Illa Heroinæ tecta Senenſis amant.
Vulnera ſuppreſſos interno corde dolores
Continuere ſuos, nec patuere foris.
Pontificum ore loquor, qui ſunt oracula cęli:
Forſan Pontificum non licet ore loqui?

R Neſto-

Neſtoreos valeas Genij geniale Genetum,
Flore miniſtret Api grata Geniſta ſuo.
Sacra Geniſtales oleant Aluearia circùm
Scimus Api quantum flore Geniſta placet.
Sparge triumphales Apibus genialis odores
Dum ſpirat tenuis, dum mouet aura comas.
Manè ſerenato vitales excute rores,
Fœcundet noſtrum, pulchra Geniſta ſolum.

LAVS DEO.

Omnia ſubijcio correctioni, & cenſuræ S. R. Eccleſiæ.

AVCTO-

AVCTORES IN APODIXI CITATI.

ABraham Bzouius.
Abulensis.
Alexander 4.
Aloysius Lipomanus.
Albertus Magnus.
Alphonsus de Vigliega.
D. Ambrosius.
D. Antoninus de Florentia.
Antonianus Cardinalis.
Anastasius Nicenus.
Angelus de Clauasio.
Antiquitates S. Francisci.
Antonius Aluarez.
Antonius Dassa.
Armilla summa.
D. Athanasius.
D. Augustinus.
Antonius Posseuinus.
Asconius Pedianus.

Baptista Moles.
Baronius.
Bartholomeus Pisanus.
Bellarminus.
D. Bernardinus de Senis.
Biga Salutis.
D. Bernardus.
Benedictus Pererius.
Caietanus.
Cronica S. Francisci.
Cronica S. Dominici.
Cronica Sanctorum Sardiniȩ.
Cornelius à Lapide.
D. Cyprianus.
D. Clemens Alexandrinus.
Clemens 8.
Claudius Guillal.
Conformitates S. Francisci.
Concilium Tridentinum.
D. Damascenus.
Decretales.
Decretum S. Congregationis.
Dialogus antiquus Montis Aluerniæ.
D. Dionisius Areopagita.
Dionisius Richelius.
Dionisius Cartusianus.

Dimas


Dimas Serpi.
Didacus de Vega.
Didacus Mas.
Durandus.
Egeſippus.
D. Ephrem Sirus.
Elias Cretenſis.
Euſebius Ceſarienſis.
Ferdinandus de Santiago.
Ferdinandus de Oxeda.
Floretum Aluerninum *Opus Auth.*
Firmamentum trium Ordinum.
Franciſcus Gemma.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Mayronius.
Franciſcus de Oſſuna.
Franciſcus de Ouandro.
Franciſcus Hereus.
Gloſa. Ordinaria. Interl.
Gloſa profetiarum Abb. Ioach.
D. Gregorius Papa.
Gregorius 9.
Gregorius 13.
Guglielmus Pepino.
Haymo Epiſc. Alberſtat.
Hernandus de Caſtiglio.

D. Hyeronimus.
Hyſtoria Seraphica.
Hyſtoria trium Sociorum.
Hugo Cardinalis.
Hugo de Prato Florido.
Iacobus à Voragine.
Iacobus de Valentia.
Iacobus Gratzerus.
Innocentius 8.
Ioachim Abbas.
Ioannes Echius.
Ioannes Gerſon.
Ioannes Oſorius.
Ioannes Pineda.
Ioannes Raulinus.
D. Ireneus.
D. Iſidorus.
Laurentius Surius.
Leſſius.
Ludouicus de Pruſſia.
Ludouicus de Tena.
Lucas Vadingus.
Marcus Marulus.
Marianus.
Maximus Thaurinenſis.
Medina.

Mer-

Mercennarius.
Magister Sentent.
Miranda.
Nauarrus.
Nissenus.
Nicolaus de Nissa.
Nicolaus de Lyra.
Origenes.
Pachecho.
Paulus 5.
Petrus Valderrama.
Pelbartus de Themesuar.
Petrus Comestor.
Petrus Episcopus Aquilinus.
Petrus de Natalibus.
Philippus Boscherius.
Pulinarius.
D. Raymundus ord. Prędicatorum.
Ribadeneira, Societatis Iesu.
Rodulphus de Tossiniano.
Robertus de Licio.
Rupertus Abbas.
Sayrus.
Synodus sexta.
Simon Metafrastes.
Sixtus 4.

Speculum S. Francifci.
D. Thoma de Aquino.
Theodoretus.
Thomas Celanus.
Thomas Villæ Nouę.
Teftamentum B. Francifci.
Theophilus.
Thomas Archiepifcopus Valentinus.
Theodorus Patriarcha.
Theatrum Seraph. *Opus Auth.*
Toletus.
Valentia.
Vbertinus de Cafali.
Vincentius Burgundus.
Zamorra.



INDEX

INDEX

RERVM NOTABILIVM in Apodixi contentarum.

A

B

C

D

E

Fidei

F

Non

Vidit

D. Ia-

I

F. Leo

L

M

S Mar-

N

O

Obiectio

R

T

V

FINIS.

EGo Frater Antonius Franciſcus Caballius ab Emporio Predicator, & Lector Generalis Sacræ Theologiæ in Conuen. Omnium Sanctorum Florentiæ, ex mandato adm. R. P. F. Bonauenturæ de Caſtellina Prouincialis Miniſtri, Reuiſor, & Approbator deputatus pro Religione, *Apodixis ſanctitatis, & puritatis B. Franciſci, Auctore R. P. Saluatore Vitale, &c.* libenter diligenterq; vidi, libentiſſimè approbo, & ſincerè atteſtor librum hunc, non ſolum, nil contra fidem, bonos mores, aut noſtrę Religionis decreta, & ſtatuta continere, ſed omnia in ipſo, puritatem, ſanctitatem, excellentiam S. P. N. Franciſci, magna cum probabilitate, pietate, & doctrina redolere: vt verè author, non ſolum ſe tanti Patris legitimum, ſcriptis (vti factis) demonſtret filium, ſed nomini & agnomini ſuo hoc in opere ſolidè & eleganter reſpondeat, in honorem Sancti Patris Noſtri, Seraphicęq; Religionis noſtræ decorem. *Saluator* enim dicitur, & ea omnia ſolidè, & eleganter ſaluat quę de Seraphico Patre, acclamatus eſt in ſuggeſtis, in *Teatro Seraphico*, *Cronicis Aluer-*

niæ

niæ Montis, *&* *Floreto* *Aluernino*, typis mandauit, *Vitalis* agnominatui, & Vitam probationis reddit, Santificationi, Confirmationi, Virginitati, Puritati, solius stigmatizati Francisci. Legant perlegant Frãcisci deuoti, & legent spero salutem, & vitam, Francisci intercessionibus, vti confido quod Author ex Saluatore, saluandus, ex Vitali, Vitalizandus eterna vita sit in cęlis, tanta pietate, tanto labore, in Dei gloriam, & Francisci laudem consumpto. In quorum fidem propria manu scripsi hac die 6. Octobris 1629. in Conuentu Omnium Sanctorum.

Illu-

Illustris, & admod. Reuerendus D. Pandulfus de Ricasulis Baronibus Canonicus Florentinus videat, & referat an in hoc tractatu, & libello contineatur aliquid contra fidem, aut bonos mores, aut regulas Indicis. Die 13. Octobris 1629.

Alex. Archiepiscopus Florentinus.

Id est


Id est.

HAbes hic, nobilissime Lector, duo signa hebraica, vnum est haec mea approbatio, à me hebraicè scripta, alterum est signum Thau, impressum ab Angelo visibiliter, & indelebiliter in humero dextro Beati Francisci nuper nati: contra primum nihil habes dicere, ego enim, sequens monita Sanctę Ecclesiæ, dilexi hanc primęuam Linguam, & subodoratus hoc hebraicum Thau, scripsi sanctis Characteribus eiusdem Linguæ: de secundo signo accipe meum consilium, ne dubites amplius de ijs, quæ probantur doctissimè, & pijssimè in hoc Libro, qui inscribitur Apodixis sanctitatis, & puritatis Beati Francisci, Auctore Reuer. P. F. Saluatore Vitale; celeberrimo Concionatore, nam qui aliter sentit, facit contra Thau Sancti Francisci, quod est signum Prędestinationis, Iustificationis, pręsentis Iustitię, Gratiæ, Perfectionis, Innocentiæ, Diuinæ tutelę, amicitiæ Dei, perseuerantiæ, atque vitæ symbolum, & confirmationis in gratia: vnde scriptum est in Exech. 9. signa Thau, &c. omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis: & S. Dauid Psal. 59. Dedisti metuentibus te significationem, seu signum, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui: Reliqua, quę ex his sacris Scripturis euidenter colligi possunt, tuo iudicio, ac pietati relinquo. Florentiæ die 15. Octob. 1629.

Pandulphus de Ricasolis Baronibus Doctor Theol. Canonicus Florentinus.

Impri-

פא יש לך קרא מיוחס שני סמנים עבריא האחר
הוא הסכמתי זאת כתובה ממני בלשון עברי
תו והאחר הוא אות התו מחוקק מהמלאך כראה ובלת;
מתמחה בכתף ימין הפאושר פראנכסקו מעטאחר
שנולד : נגד הראשון אן לך דבר מה לאמר לפי
שאני כרדפי עצות הקהלה הקדשה אהבתי זה הלשון
הקרום וכהרחותי זאת התו העברת כתבתי באותיות
הקדש מהלשון עצמו : מהסמן השני קח עצתי ולא
תסתפק עד מאתם הדברים שיובחכו בחכמה ובחסד
בזה הספר שנקרא אפריזים מקרושה ותמורת
המאושר פראנכיסקו והמחבר הוא האב המהודר
האה סאלואטורי ויטאלי דרשן מפורסם לפי שכל מי
שיאמין באופן אחד עושה נגד התו מפראנכיסקו
הקדש שהיא כות מהכנה סצרקות מצדק הוה מחן
משלמות מנקיון משמרה אלהית באהבת האל
מהתמרה ואות של חייא וקיום בהחן : שלכן כתוב
ביחזקאל סמן ט והתוית תו וכו ועל־כל־איש אשר
עליו התו אל־הגשו : ודוד הקדש במזמר ס נתתה
ליראיך נס להתנוסס מפני קשט סלה למען יחלצון
ידידיך : הדברים האחרים שיוכלו להיתלקט מאלו
הכתובים הקרושים בפרוש אניח לירעהך ולהסדותך
מפלורינציא ביום טו מאוטובריי א תרכט :
פאנדולפו מריקסולי בארוני כאנוניקו פיורינטינו :



Imprimatur Florentię si placet adm. R. P. Inquisitori. Die 22. Octobris 1629.

Alex. Archiepiscopus Florentinus.

Adm. R. P. Magister Eliseus ord. Seruorum & Consultor huius S. Inquisitionis videat hoc opus quęso; & referat, &c. Datum in Ædibus Sanctę Inquisitionis Florentiæ die 19. Octobris 1629.

F. Clemens Inquisitor Gen. Florentię.

Die 24. Octobris 1629.

Ego Magister Eliseus Mazzonius Sancti Officij Consultor, Tractatum qui dicitur Apodixis virginitatis, & puritatis Beati Francisci vidi, & legi, & in eo nihil contra fidem neq; contra bonos mores adinueni, & licet sit aliqua difficultas circa virginitatem, & puritatem dicti B. Francisci tollitur cum multoties Author vsus fuerit his verbis pium est credere, &c.

Ego idem M. Eliseus qui supra manu prop.

Imprimatur. Die 25. Octobris 1629.

F. Clemens Egidius Inq. Gen. Florentię.

Stampisi. Adi 27. di Ottobre 1629.

Niccolò dell' Antella.

Errata.	*Correcta.*
In Dedicatoria. maximum	maximus
ſenſibus	ſenibus.
p.3.l.12. Immaculatum.	maculatum
p.4.l.14.mirab. omnium.	mirab. ferè omnium
p. 15.l. 3. ac doctos.	doctos, ac
p.21.l. 4. cum	eum
p.30.l. 15.myrerium	myſterium
p.32.l.7. Apoſloiicæ	Apoſtolicæ
p.48.l. 1. coram quidam	coram quodam
p.58.l. 17. Doctor Frãc.	adde Obiect. 4.& poſt Frãc.
p.84.l.20. Obiectio 8.	Obiectio nona
p.116.l.24. oſtenderet,	offenderet
p.117.l.1. chariſmatæ	chariſmate
p.127.l.20.Franciſcanis,	Franciſcanas
p.128.l.14.B. Franſcus	B. Franciſcus
p.146.l.22. ſummè	ſummæ
p.161.l.3. Heroiſſa.	Heroina
p.141.l.3. Verum	veru
p.193.l.9. ille	illæ
p.194.l. 11. Angeli	Angelos
p.194.l.20. facra	ſacra
p.197. l.vltima eris	erit.

